34-6.H-23.
10
325

DISSERTATIO
DE NOMINE
PATRIARCHÆ JOSEPHI
A PHARAONE IMPOSITO

In defenſionem Vulgatæ Editionis, & Patrum qui Joſephum in Serapide adumbratum tradiderunt.

APPENDIX
DE TEMPORE ISIORUM ET ÆTATE GEMINI.

APPENDIX ALTERA
DE TEMPORE SERAPIORUM AC PASSIONIS S. MARCI EVANGELISTÆ.

AUCTORE

FRATRE GUILLELMO BONJOUR
Toloſano Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

ROMÆ, MDCXCVI.
Typis Franciſci de Rubeis & Franciſci Mariæ Acſamitek à Kronenfeld Linguarum Orientalium Typographi.

SUPERIORUM PERMISSU.

D*Iſſertationem de nomine Patriarchæ Joſephi à Pharaone impoſito*, auctore P. F. Guillelmo Bonjour Toloſano, juſſu Reverendiſſimi Patris Generalis evolvi, & perlegi unà cum Appendice *de tempore Iſiorum, & ætate Gemini: &c.* nihilque quod non ſapiat catholicam Fidem, ac bonos mores, inveni: ſuſceptam à Juvene viginti quinque annorum intricatiſſimæ rei enodationem non tam admiratus, quàm hujus ætatis Scriptorem in rebus ſacris, & Prophanis, linguis, vetuſtis quibuſcunque monumentis adeò verſatum, ut ab hoc incepiſſe ipſum videam, in quo pauciſſimi deſinunt: quare ut in lucem prodat, digniſſimam cenſeo. Dat. Romæ IV. Idus Februarii an. 1696.

Frater Dominicus Antonius Tagliaferri à Sigillo in Conventu S. P. Auguſtini Romæ Regens.

Magiſter Fr. Antonius Pacinus Ravennas totius Ordinis FF. Erem. S. P. Auguſtini Prior Generalis.

CUM opus cujus titulus eſt *Diſſertatio de Nomine Patriarchæ Joſephi à Pharaone impoſito, unà cum Appendice de Tempore Iſiorum, & ætate Gemini &c.* à Rev. Patre Fr. Guillelmo Bonjour Toloſano Ordinis noſtri elucubratum, Reviſores à nobis deputati recognoverint & in lucem edi poſſe probaverint. Nos tenore præſentium facultatem concedimus, ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos ſpectat, videbitur. In quorum fidem has litteras noſtri muneris Sigillo munitas dedimus in Conventu S. P. Auguſtini de urbe die tertia Junii 1696.

F. Antonius Pacinus Generalis indignus.

Mag. Fr. Jo. Baptiſta Mengarellus Rav. Secretarius Ordinis.

Loco ✠ Sigilli

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Sperellus de Sperellis Epiſc. Interamnen. Viceſg.

JUbente Reverendiſſimo P. Paulino Bernardinio Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro perlegi *Diſſertationem de nomine Patriarchæ à Pharaone impoſito, ejuſque appendices*, nihilque in iis reperi diſſonum à fide, boniſque moribus, ſed Vulgatæ tuitionem inveni. Et ideo &c. hac die 16. Februarii 1696.

Ego Franciſcus Griſendus publicus Romæ Profeſſor linguæ Hebraicæ ſubſcripſi.

Imprimatur.

F. Paulinus Bernardinius Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

PRINCIPI
F. HENRICO DE NORIS
S. R. E. CARDINALI

SPARSA per Orbem oraculi Apollinis famâ, primitias frugum Delon mittere ſolebant Hyperborei: nec regionum longè latèque diſſitarum varia diſcrimina hos ab itinere arcere poterant, quos eouſque illud numen ad primos ex agro perceptos fructus ſibi nuncupandos tantopere ſuccendebat. Non men-

doſâ & incertâ, ſed magnificâ & veridicâ famâ, Eminentissime ac Reverendissime Princeps, Te inſtructiſſimis libris undequaque fundentem oracula, & velut alterum Oedipum intricatiſſima Sphincis ænigmata diſſolventem, jampridem profitetur literarius Orbis, Tuam commendans eruditionem, quâ impeditiſſima Theologiæ feliciter expedis, omnigenæ hiſtoriæ abſtruſiſſima expendis, & antiqui Orbis reconditiſſima penetras: ut non immeritò è longinquo venerim, has Hyperboreorum inſtar, primitias operum Tibi oblaturus, & breviores quidem ſpicarum manipulos in præſentiâ exhibens, plenam aliàs, Deo favente, meſſem donaturus. Juvenilis calami fœtus facilè immaturus, nulliùsve cultûs, munuſcula hæc ſunt: &, ut Poëtam eloquar;

Primitiæ Juvenis miſeræ, belliqne propinqui
Dura rudimenta, & nulli exaudita Deorum
Vota, preceſque meæ.

Scribentibus enim inſtat bellum, cujus inexperto dura nimis rudimenta ſunt: & niſi in ſinum Tuum convolet hic ſtudiorum meorum prior conatus, miſerrimo exitu vel propinquum certamen me declinaturum præſentio, vel in deſidioſâ pace manſurum. Te alloquatur, velim, alter Poëta;

Tu bellis, tu pace feres de more frequentes
Primitias operum, non indignante Dianâ.

Eas animi excelſi atque invicti magnitudine tueri ac ſuſtinere Tu ſolus potes, auctoritatem & nomen ipſis afferre, aliorumque etiam patrocinium concilia-

re. Et

re. Et tunc quidem validiùs, quòd in Sacrum Purpuratorum Patrum collegium ab INNOCENTIO XII. Pontifice Opt. Max. cooptatus, nomen, partamque tot editis voluminibus famam, & imples & auges. Rude, fateor, ac impolitum prorsùs eſt, quod Tibi nuncupare auſus ſum, hocce opus, & conſtrictâ nimis ſui exiguitate vileſcens. At neque in parva faſtidioſi ſunt ſuperi; imò & quandoque minuta laris oblatum donis majoribus acceptius evadit. In Tuam ergo clientelam, EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS, quantulaſcunque has primitias accipe, has ſubleva, his fave: ejuſque ſis protector ac ſervator, qui de Joſepho Patriarcha ut ſervatore mundi nuncupato agens ſe Tibi totum devovet.

Eminentiæ Veſtræ

Romæ Kal. Iunij Anno *1696*.

Humillimus & Obſequentiſſimus Servus
F. Guillelmus Bonjour Auguſtinianus.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Magnum hoc ſæculo decus eſt nec non proficuus religioni labor & literariæ reipublicæ pergratum opus in ſacris paginis, conciliis & patribus, ſcriptoribus exoticis tum hiſtoricis tum mythicis & Poetis, nummis, marmoribus, priſcis quibuſcumque monumentis, diſciplinis mathematicis, & linguis verſari. Cautioris doctrinæ irrequietum zelum id accendit, id planè requirit fundatiſſimæ erudionis amplitudo, nec niſi inermis lucubratio fugit. Univerſalis enimcertè ac indiſſolubilis quidam nexus eſt expedita veritatis inſtitutio: nec tam plana & prompta quàm intricata quæque permeat, extricat, ſimulque copulat ſemel ſoluta.

Hinc nuſquàm non latior mihi fuit Mercurius Aegyptiorum, cùm antiquum Joſephum in eo prorsùs adumbratum expertus fui, typiſque edendo amplo volumine executus. Nuſquam uberior materies ſeſe obtulit in characteribus chronologicis, quos ex intimo antiquitatis penu pro generali chronologia noviter obſervatos juris publici facere mox meditabar. Nuſquàm ampliora quæſitæ veritatis & indicia & umbracula nunc occurrunt in dynaſtiis Aegyptiorum, quas ſecundùm Hebraicam veritatem & perpetuo cum ſacris paginis nexu elucidare ſatago in defenſionem Vulgatæ Editionis quam Tridentinum ratam fecit, & conſecravit Eccleſiæ uſui.

Nil certè mirum, cùm tot requiſierit unum Joſephi

no-

nomen impoſitum à Pharaone ; ut niſi panthologica diſſertatione fuerit illuſtrandum. Temerè ſugillatam hac in re Vulgatam Editionem, ſugillatum & Hieronymum ęgerrimè ferebam: nec planè ſolabantur temperantiores critici & interpretes. Enimverò ſe prorsùs ignorare linguam Aegyptiaca m Aegyptium hujus nominis etymon daturi mox fatentur: & nova potiùs obſcuritate, noviſque dubiis, donandum jubent, quod ſuſceperant illuſtrandum. ,, In Hebræo ,, (inquit Lyranus) ſic dicitur: *Et vocavit Pharao nomen* ,, *Joſeph* Zaphnath pahaneah: quod in Hebraica lingua ,, ſignificat *occultum revelans*, ſecundùm quod dicunt He- ,, bræi & Hieronymus, & eſt conveniens ipſi Joſeph, qui ,, revelavit ea, quæ erant aliis occulta, ut patet per prædi- ,, cta. Utrum autem idem nomen in lingua Aegyptiaca ,, ſignificet *Salvatorem Mundi*, neſcio, niſi quantum di- ,, cit tranſlatio noſtra, quia linguam Aegyptiacam peni- ,, tùs ignoro: ſcio tamen quòd contigit, quòd una dictio ,, in diverſis idiomatibus diverſa ſignificat, ſicut hæc dictio ,, *Jam*, in Hebræo ſignificat mare, in Latino eſt adver- ,, bium temporis. Hæc ille. Oleaſter verò cum Rabbi Abraham: *Si*, inquit, *dictiones illæ ſint Aegyptiæ, neſcimus earum ſignificationem*. Quid, quòd Hebraicis fontibus eas illuſtraturi nos alii planè committant? *Sanè ipſarum litterarum forma videtur externa, non autem Habraica*, uti obſervat Eugubinus, apud quem etiam Aben-Eſra fatetur ſe ignorare quid propriè ſignificent. Ita inexplicabiles in tricas utrobique conjicimur, illic propter antiquatam linguam Aegyptiacam, hic propter alienam ab Hebraica & unius dictionis formam & alterius radicem.

Hactenùs igitur tantoperè impeditum Pharaonicum Joſephi nomen, necdùm radicitùs in eo elucidatam Editionem Vulgatam, his meorum operum primitiis expedire

c ona-

conatus ſum & omnigeno antiquitatis argumento expendere. Neque enim unius Hieronymi teſtimonio fretus, quod rectiſſimè quidem aptum hac in re plerique habent ſed non ſatis ponderatum relinquunt, Pharaonem demonſtro lingua ſua Joſephum nuncupaſſe *Salvatorem mundi*. Plura ſiquidem præter Hieronymum adducenda fuerunt & ex antiquiſſimis linguæ Aegyptiacæ fontibus haurienda; ut rei veritatem in eos evinceremus, quibus Hieronymum præpedierat hujus linguæ antiquatio. Hinc de Serapide quem Servatorem appellatum habemus, agendum etiam ſuſcepi in eorum patrum defenſionem, qui Joſephum in illo adumbratum tradiderunt. Quin & Iſim Serapidis comitem individuam eodem ſpectare pluribus oſtendo: nec poſſum aſſentiri Druſio, qui hirundinem eo nomine ſignificatam ſuſpicatur in ſuis obſervationibus.

His accedit appendix de tempore Iſiorum & ætate Gemini, intricatiſſima hactenùs quæſtio, in qua duo chronologiæ lumina Scaliger & Petavius non parùm deſudarunt. Semel etenim illuſtrata Iſide, Iſiorum tempus in obſcuritate in qua ſummè latebat, relinquendum non fuit: nec nobiliſſimi Scriptoris ætas quæ exinde detegitur, ulteriùs erat reticenda. Accedit & appendix altera de tempore Serapiorum, ſeu feſti in honorem Serapidis celebrati, ac paſſionis S. Marci Evangeliſtæ, quæ ipſo Serapiorum die contigit, Dominicæ poſtridiano: Unde varii emendantur Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptorum calculi, tempus illud obſignantes nullius characteriſmi ratione habita. An Eccleſia Alexandrina Paſcha celebraverit hac die Dominica, in dubium revocari poterat. Sed, re diligentiùs inſpecta, dubium omne tollo, ac demonſtro hanc dominicam fuiſſe communem. Tum, Serapiis anſam præbentibus, alteram Aegyptiorum feſtivitatem illuſtrandam aggredior: ac de anno eorum vago diſſe-

rens

rens popularem ejus uſum pluribus addico Aegyptiis Orientalibus uſque ad Diocletiani tempora.

An rectè procedant iſtæ lucubrationes; quove pacto me in cæteris debeam gerere, judicent, velim, eruditi: & in tutiore veritatis ſemita eum dirigere non recuſent, qui pro veritate certandum nuſquam non ambit, hos quidem fugere ſatagens qui nomen ſibi venantur in mendacio, ſed eorum ductum exoptans quorum candorem efficit & irradiat providentiſſimus Deus: *Quoniam ipſe Sapientiæ dux eſt, & ſapientium emendator: in manu enim illius, & nos, & ſermones noſtri, & omnis Sapientia, & operum ſcientiæ diſciplina*. Sap. VII. 15.

331

CAPUT I.

Nomen quo Patriarcham Joſephum donavit Pharao, Salvatorem Mundi ſignificat.

DUDUM quærunt interpretes, utrum nomen quod Joſepho patriarchæ impoſuit Pharao, Salvatorem mundi ſignificet, an verò revelatorem arcanorum ſeu abſconditorum repertorem. Nulla eſſet difficultas, ſi Hebraizantes negotium hac in re ſibi non faceſſerent ex textu Hebraico, cùm Vulgata noſtra editio eò loci ubi dicitur, quòd Pharao vertit nomen Joſephi, expreſsè legat: *Et vocavit eum linguâ Ægyptiacâ Salvatorem mundi*. Gen. XLI. 45. Id in primis ita exequitur D. Hieronymus lib. Tradit. Hebr. in Gen. *Licet Hebraicè hoc nomen abſconditorum repertorem ſonet: tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipſius lingua debet habere rationem. Interpretatur ergo ſermone Ægyptio* Zaphanath phanecha, *ſive, ut ſeptuaginta transferre voluerunt* Ψομθομφανὴχ, *Salvator mundi, eò quòd orbem terræ ob imminente famis excidio liberarit*. Tum D. P. Auguſtinus lib. quæſt. ſuper Gen. 9. 135. idipſum quoque tradit. *Hoc*, inquit, *nomen interpretari dicitur*, occulta revelavit, *ex illo utique, quòd ſomnia regi aperuit. Ægyptiâ verò linguâ Salvatorem mundi perhibent iſto nomine appellatum*. Perhibent, ait. Quòd non unius Hieronymi fuiſſe demonſtrat.

Recentiores quidam in ſummâ linguæ Ægyptiacæ ignoratione verſantes id ſibi ſuadere non poſſunt. Unde Joannes Gregòrius Notis & obſervationibus in loca aliquot Scripturæ cap. 16. in Hieronymum inſurgens ait: *Quicunque S. Hieronymo hanc gloſſam hujus nominis revelavit*, Salvator mundi, *Satis illi impoſuit*. Quaſi verò D. Hieronymum fugerit lingua Ægyptiaca.

Epiſtolas enim quas Pachomius, Cornelius & Syrus Ægyptio ſermone ſibi ſcribebant, & quarum Gennadius meminit in Pachomio, latinas ille fecit ſimplicitatem Ægyptii ſermonis imitatus; ut ipſe teſtatur præfat. in Regulam S. Pachomii. *Ajunt*, inquit, *Thebæi quòd Pachomio, Cornelioque & Syro, qui uſque hodie ultra centum & decem annos vivere dicitur, Angelus linguæ myſticæ ſcientiam dederit, ut ſcriberent ſibi, & loquerentur per alphabetum ſpeciale, ſignis quibuſdam & ſymbolis abſconditos ſenſus involvens: quas nos epiſtolas ita ut apud Ægyptios Græcoſque leguntur, in noſtram linguam vertimus, eadem ut reperimus elementa ponentes, & quâ ſimplicitatē Ægyptii ſermonis imitati ſumus, interpretationis fides eſt: ne viros Apoſtolicos & totos gratiæ ſpiritalis ſermo rethoricus immutaret.* Ergo linguam Ægyptiacam callebat D. Hieronymus, qui ob interpretationis fidem *Simplicitatem Ægyptii ſermonis* in latino ſe dicit imitatum: ac proinde idoneus teſtis eſt ſignificationis vocabulorum hujus linguæ, hiſque omninò præferendus qui nullâ Ægyptii ſermonis ratione habitâ nomen Joſephi à Pharaone impoſitum *revelatorem arcanorum* interpretantur.

Id Penitiùs & præter Hieronymum expediamus: ut quibus ille fidem non fecit, derogemus & aliunde fidem, hoſque vel cæcitatis vel inconſiderantiæ aut temeritatis damnemus. Pharaonicum Joſephi nomen in textu Hebraico & verſione Syrâ legitur: צפנת פענח *tſaphnath paneach* vel *panah* & in textu Hebræo-Samaritano ࠑࠐࠍࠕ ࠐࠏࠍࠇ *tſaphineti phane*. Voce צפנת vel צפינתי Servatorem intelligi nihil prohibet. Radix enim צפן nedùm *abſcondere*, ſed & *ſervare*, *cuſtodire* & *conſervare* ſignificat. Ideòque proverb. XIII. 22. tam in paraphraſi Chaldaica quàm in verſione Syrâ redditur per verbum נטר, i. *Servavit*, *cuſtodivit*: noſtraque Vulgata ibi etiam utitur voce *cuſtoditur*. Eandem quoque ſignificationem Syrus admittit pſal. XXXI. 20. & proverb. II. 7. item Chaldæus Paraphraſtes Oſ. XIII. 12. Et Septuaginta interpretes utuntur verbo τηρέω, i. *Servo*, *tueor*, Vulgatus autem verbo *Servare*. Cant. VII. 13. Quin & Chaldaicum נטר eſt Hebraicum שמר ex Onkelo & Jonathano Gen. XLI. 35. Sicut ergo שמר *Shomer*, fœmininâ terminatione שמרת *Shomereth*, eſt *Servator*, *conſervator*, *cuſtos*; ita etiam צפנת *Tſaphnath*, ſeu

tſophe-

 332

tſupheneth vel *cephaneth*, ut legit Iſidorus lib. 7. Orig. cap. 7. ex verbis Hieronymi ita concludens: *Interpretatur ergo Cephaneth Ægyptio ſermone Salvator mundi, eò quòd orbem terræ ab imminente famis excidio ipſe liberaret*. Quod autem Ægyptius ſermo fœmininam terminationem admittat in maſculinis alibi demonſtrabo, de veteri Ægyptiorum linguâ acturus. Eòdem quoque ſpectat Ψομθομφανὴχ verſionis LXX. Φανὴχ enim eſt vocabulũ פענח mox elucidandum: Ψομθομ verò Hebraicis & Chaldaicis elementis ſcriberetur פצמתם, quo ſanè ſignificatur *liberans homo*, à verbo פצה, i. *liberavit* ex uſu Chaldaico, & à nomine מתם quod *hominem* denotat.

Jam per vocem פענח *panah* ſeu פענה *phane* ignorabilis radicis in lingua Hebraica Mundum ſecundùm Ægyptios intelligi facilè demonſtratur. Eò primùm ſpectat Ægyptius Orphicorum Φανὴς *phanes* ſub initium Argonauticorum, dum primus poſt chaos apparuiſſe dicitur; Per chaos enim æternum inane deſignabant, quod mundum anteceſſit, canente Lucano lib. 6. verſ. 697.

Et chaos innumeros avidum confundere mundos.

Enimverò ille *phanes ὁ ἐκ τοῦ ὠοῦ ex ovo* profuſus hieroglyphicè dicitur ab Athenagora in legat. pro Chriſt. Deum autem Ægyptii ἐκ τοῦ στόματος προΐεσθαί φασιν ὠὸν ... ἑρμηνεύειν δὲ τὸ ὠὸν, τὸν κόσμον, *ex ore ovum effudiſſe aiunt ... ovum autem illud mundum interpretari*, teſte Porphyrio apud Euſebium lib. 3. præp. cap. 11. Eoque accedit Macrobius lib. 7. Saturn. cap. ult. *Et*, inquit, *ne videar plus nimio extuliſſe ovum elementi vocabulo, conſule initiatos ſacris liberi patris: in quibus hac veneratione ovum colitur, ut ex forma tereti ac penè ſphærali, atque undique verſum clauſâ, & includente intra ſe vitam, mundi ſimulacrum vocetur. Mundus autem conſenſu omnium conſtat univerſitatis eſſe principium*. Addit laudatus Athenagoras ex Orphicorum auctore *ipſum Phaneta* ἢ σῶμα ἢ σχῆμα ἔχειν δράκοντος, *draconis vel corpus vel ſpeciem habere*. Quippe *Mundum exprimere volentes Ægyptii* ὄφιν ζωγραφοῦσι *Serpentem pingunt*, apud Horum Apollinem lib. 1. Hierogl. 2. Quia verò Hierogliphici ovi apertio ipſius mundi velut ex ovo emergentis & ſibi pandentis calycem genituram deſignabat, mundi nomen *phanes* aptè illuſtrat Arabicum فقه *phaana*, i. *aperuit, pandit*. Hâc

certe ratione *virgultum* quod gemmas exerens pandit ſe Samaritanis dicitur [Samaritan text] *phanethus*, Gen. II. 5. in verſione Samaritana. Atque nunc patet, cur *phanes genitalis facultatis præſes* dicatur apud Suidam in Φάνης. Id nobis confirmant Ægyptii apud laudatum Euſebium, dum profuſum ex ovo, quod hierogliphicè mundum repræſentat, appellant *phtha*. Hoc enim vocàbulum eſt Hebraicum פתח quod ſignificat *aperire*, *pandere*.

Quòd autem per *Panah* mundum ſignificaverint, res quoque in promptu eſt. Id in primis ita canit Orphicorum auctor in ſuffimento panos.

Πανα καλῶ κρατερὸν γε θεὸν κόσμοιο τὸ σύμπαν,
Οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν, ἠδὲ χθόνα παμβασίλειαν,
Καὶ πῦρ ἀθάνατον· τάδε γὰρ μέλη ἐστὶ τὰ Πανός.
Fortem Pana Deum molem voco totius orbis,
Ignis inextinctum flamen, cælum, æquora, terram,
Quæ cunctos tenet. Hæc etenim ſunt omnia Panos.

Porphyrius quoque apud Euſebium lib. 3. præpar. cap. 11. de Symulacro Panos ait, quòd τοῦ δὲ παντὸς τὸν Πανα σύμβολον ἔθεντο, *Symbolum univerſi pana ſtatuerunt*: idque pluribus exequuntur Servius, Iſidorus, Pierius & alii. Hinc nobili Symplegmate *Pana, & Olympum luctantes fecit Heliodorus*, tradente Plinio lib. 36. cap. 5. Quia verò pro *Panah* poſitum eſt *Phane*, non abs re *Faunum quidam etiam Pana vel Pan eſſe dixerunt*: ut vetus Scriptor ait in libro de origine Gentis Romanæ, cui & alii paſſim ſuccinunt. Unde Fauni templum *Pana* vocant apud Juſtinum Trogi epitomatorem lib. 43. Auctor eſt etiam Cornelius Labeo *Faunam* eandem cum terrâ ſeu mundo terreſtri Pontificum libris indigitari, ut tradit Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 12. Inde illuſtratur Ægyptiorum *Pandora*, nempè ex *Pan* & Chaldaico דורא *Dora*, quod ſignificat *onus dolorificum*: adeo ut *Pandora* ſit *mundi dolorificum onus*, ſeu exitiale omnium malum. Hoc enim onus grave damnum, & exitium denotat: ſicut apud Iſaiam *onus Babylonis*, *onus Moab*, *onus Damaſci*, *onus Ægypti*, *onus deſerti maris*, *onus Dumæ*, *onus Vallis viſionis*, *onus Tyri*, *onus jumentorum Auſtri*: apud Naumum, *onus Ninive*: apud Zachariam, *onus verbi Domini in terrâ Hadrach*, & *onus verbi Domini ſuper Iſraël*

Iſraël: &c. Reapſe, ut Heſiodum eloquar cum Origene lib. 4. contra Celſum:

> *Mercurius recto Pandoram nomine dixit,*
> *Dulce ſimul cunctis exitiale malum.*
> *Nam prius humano generi mala nulla fuerunt.*
> *Expers ſolliciti vita laboris erat.*
> *Morborumque aberant vultu pallente catervæ,*
> *Qui ſenium cunctis debile ferre ſolent.*
> *Fœmina ſed nocuo dum tollit opercula vaſe,*
> *In mundum peſtis provolat omne genus.*

Præterea nomine *Chemmis* Pana etiam donarunt Ægyptii, qui idcircò urbem in Thebaide Χέμμιν ab incolis appellatam Πανὸς πόλιν *Urbem Panos* interpretantur apud Diodorum lib 1. Biblioth. pag. 11. eoque nomine hanc celebrant Strabo, Plinius, Ptolemæus, & alii. Jam in Ægyptio Thebæorum canone, quem ex Apollodoro & Eratoſtene habemus apud Georgiũ Syncellum, Θηβαίων κθ΄. ἐβασίλευσεν Χομαεφθὰ κόσμος φιλήφαιστος, *Thebæorum 29. regnavit Chomaëphtha, mundus amans Vulcani* interpretatus. Ubi notandum quòd *aëphtha* eſt *amans Vulcani* ab Hebraico אהב *aef*, quod eſt *amans*, & *phtha* qui Vulcanus dicitur apud Euſebium lib. 3. præpar. cap. 11. Adeo ut mundi ſignificatum in *Chomaephtha* habeatur in vocabulo *Chom*. Mundum itaque etiam *Chom* vocabant Ægyptii, haud dubie à calore ſolis ſeu luce ſolari, quę univerſum orbem colluſtrat, fovet & calefacit, ac Hebraicè dicitur חום *Chom* & חמה *Chamma* à radice חמם *Chamam* i. *calefactus eſt*: Et verò *Chom* Ægyptiacum dicitur Φιλήφαιστος *amans Vulcani*. Ut autem Bochartus obſervat lib. 1. Chan. cap. 12. pag. 432. *Vulcanus Græcè dicitur* Ἥφαιστος, *Doricè* Ἄφαιστος, *ideſt* אב אשתא *afeſto, pater ſeu inventor ignis: quia ut Græci fabulantur* ἀφεῦρε πῦρ, καὶ τέχνας ἢ τῶν ἐκ πυρὸς ὁπόσας *invenit ignem & artes ex igne quotquot ſunt*. Ergo *Chom* mundum ſignificans dicitur *amans Vulcani* propter calorem ſolis ſeu lucem ſolarem, unde nomen habuit. Jam quis non videat nomen *Chemmis* ex Hebraico *Chamma* ſeu *Chemma* eſſe factum, proindeque eſſe *Chom* ſeu *Mundum*? Pana igitur Chemmin vocantes Ægyptii eum eſſe mundum ſignificant,

lucidum

lucidum ſcilicet: quò ſpectat vetus inſcriptio quam poſt Tomaſinum Reineſius edidit.

LUCIDO PANI
QUINTUS MUTIANUS
HERODIA. SYNNESIA
UXOR. DULCISSIMA
V. S.

Ad hæc Herodotus in Euterpe pag. 121. ait quòd ὁ Πὰν Αἰγυπτιστὶ Μένδης, *Pan Ægyptiacè Mendes* etiam vocatur. Nimirum ſicut *Pan* eſt Græcorum τὸ πᾶν *univerſum*, ita *Mendes* videtur Latinorum *Mundus* & Chaldæorum מנדעם *mandaham*, i. *quicquid gentium*. Præterea vox פענח aſperrima litterarum enunciatione adhibitâ proferri poteſt *phonghanch*, cui vicina eſt Japonica vox *phongacu* quæ *omnes mundi partes* ſignificat. Sed & Malaica vox *pannas* ejuſdem ſignificati eſt ac Hebraica חמה, unde *Pana Chemmis* nomine donarunt Ægyptii. Videatur Dictionarium Japonicum Didaci Colladi ordinis Prædicatorum & Dictionarium Malaico-Latinum Davidis Haëx.

Nullum itaque dubium eſſe poteſt, quin *Saphnat panah* ſeu potius *Sopheneth panah* Ægyptium Joſephi nomen *Servatorem Mundi* ſignificet. Ubi tamen obſervandum quòd eo nomine inſignitus eſt Joſeph ceu cuſtos & curator theſauri totius orbis. Nam LXX. Interpretes Hebraïcò verbo צפן ſæpè ſubſtituunt verbum θησαυρίζω, i. *Theſaurum congero, recondo aliquid in futurum, cumulum ſeu copiam divitiarum in longum tempus repono*. Ita ut Servatoris mundi nomine quæſtorium Joſephi munus exprimatur quo pro orbe terrarum à fame liberando donavit eum Pharao, juxta conſilium quod ab illo cœperat de providendo viro, cujus curâ, inquiebat, *omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſerveturque in urbibus: & præparetur futuræ ſeptem annorum fami*; ſive ut habet textus Hebraïcus: *Et ſervent, & ſit cibus* לפקדון לארץ *in depoſito ipſi terræ*. Gen. XLI. 35. Id ex nomine uxoris Joſeph illuſtrari poteſt. Virorum quippè munera & officia, dignitates & honores in uxores recidunt, atque inde fit eis nomen. Quocircà ſi Joſeph ſervator mundi renunciatus ſit velut cuſtos & curator theſauri univerſi, ſeu frugum pro toto orbe reconditor;

uxorem ejus reconditricem, ut ita loquar, ſeu coacervatricem, haberent, conſequens erat & conſentaneum. Revera hæc vocata eſt אסנת Ἀσενέθ *Aſeneth* Gen. XLI. 45. nimirùm ab Syro themate אסן *aſan*, i. *coacervavit*, *repoſuit*, *recondidit*, *aſſervavit* Arabicè خزن *hazana*: unde horrea ſeu *repoſitoria frugum* Chaldæis dicuntur חסניא & אסניא. Et *reconditum*, *repoſitum eſſe* Hebraïcè dicitur נחסן *nehesan* ab inuſitatâ radice חסן *haſan*.

CAPUT II.

Serapis Servator adumbrat Joſephum Servatorem.

INſignis de Serapide eſt inſcriptio apud Gruterum pagina 85. num. 3.

DEO
INVICTO
SERAPI
SERVATORI

Qui omnes ſuperſtitioſæ antiquitatis Deos ad Solem referunt, in eum mox detorquebunt hanc inſcriptionem. At Serapidem ſedulò ponderanti Servator Joſeph ſeſe mox offeret. Notum eſt ex Ruffino lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 23. Julio Firmico lib. de myſter. & error. profan. relig. cap. 14. & Suidâ in Σάραπις, quòd *quidam in honorem noſtri Joſeph formatum perhibent ſimulacrum Serapidis*. Sanè *Serapis* vel *Sarapis* qui & *Sorapis*, ut ex Nymphodoro Amphipolitano docet Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromat. p. 323. docent & Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride, Ruffinus & Suidas jam laudati, primo nominis obtutu recidit in Joſephum de bobus & ſpicis interpretem. Siquidem *Sorapis* nomen habet ab Hebraïco שור *Shor* quod *bovem* ſignificat, & אביב *abib* quod eſt *ſpica*, nobis Gallis dicta *epy*, plurali numero *epys*. Quod enim שור אביב *Shor-abib* ſit *Sorapis*, in promptu eſt: nam litteræ P. & B invicem, non raró permutantur, quod, ut alia mittam, latè patet in nominibus menſium Ægyptiorum. Sic Paophi *Babe* & *Pape* ex Ara-

pe ex Arabibus dicitur, Pharmuthi *Barmude* & *Parmude*, Payni *Bayne* & *Paune*, Epiphi *Ebib* & *Epip*. Porrò *Barbara vocabula ita ferè corrumpunt Græci, ut ultimam conſonantem mutent in σίγμα*: uti Druſius obſervat & demonſtrat pluribus exemplis lib. 9. obſervat. cap. 9. Hac ergo lege *Sorabib* evaſit in *Sorapis*. Id egregiè illuſtrat antiquiſſima gemma, quam Burdigalæ mecum communicavit plurium linguarum peritiſſimus ac ſecretioris antiquitatis ſtudioſiſſimus D. Scruderus. In ea enim viſitur Sorapis ſeu bos Apis cum duabus ſpicis, quarum una tenuis recto ductu ſcalpta eſt, altera plena recurvo eſt aſpectu: in ſignum ſcilicet ſpicarum quarum *Septem pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherrimæ. Aliæ quoque ſeptem tenues & percuſſæ uredine oriebantur è ſtipulâ*. Gen. XLI. 22. Quòd ſi ſeptenaria bovis è Nilo emerſio fuit, ut ſeptenaria culmi pullulatio: Nam de fluvio *aſcendebant ſeptem boves pulchræ & craſſæ nimis ... aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine fœdæ, confectæque macie*. ibid. 2. Nonne Sorapidis ſeu bovis ſpicę natalicia *diebus ſeptem* agebant Ægyptii *auream pateram argenteamque mergentes in Nilum*? Auctore Plinio lib. 8. cap. 46. Enimverò celeberrimus apud Ægyptios erat *bos Apis*. Τὸ δὲ Ἆπις κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν ἐστι Ἔπαφος, *Apis verò ſecundùm Græcos eſt Epaphus*: teſte Herodoto in Euterpe pag. 169. Sicut enim *Ebib* eſt *Epiphi*, ita *Abib* eſt *Epaphus*: nam ſolæ conſonantes ſunt vocabulorum figurativę, unde Orientales ſcribunt abſque vocalibus. Sicut ergo *Sorapis* eſt *bos Apis*, ita *bos Apis eſt bos ſpica*: ejuſque natalicia *diebus ſeptem* peracta ſeptuplicem bovem & ſpicam innuunt. Unde quia hæc innotuerunt & expedita ſunt, Joſepho interprete ac orbis Servatore; ipſi quoq; nomen fecerunt.

Ad hæc *Oſirim quidam Serapim exiſtimant* apud Diodorum lib. 1. pag. 15. quos inter eſt Athenodorus apud Clementem Alexandrinum in admonitione ad Gentes, & Marcianus Capella hoc in verſu:

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim.


Tradente autem Strabone lib. 17. ὁ βοῦς Ἆπις, ὅ ἐστιν ὁ αὐτὸς Οσιρις, *Bos Apis idem eſt cum Oſiride*. Quippè *Oſiridis animam in bovem tranſmigraſſe* putabant apud laudatum Diodorum pag. 54. quod confirmant apud Plutarchum in lib. de Oſiride & Iſide, ubi

Βοῦν

Βοῦν Ὀσίριδος εἰκόνα νομίζουσι *Bovem putant eſſe Oſiridis imaginem*. Porrò Oſiridis indagationem ita celebrabant Ægyptii apud eundem Plutarchum: Ἔτι δὲ τὴν βοῦν ὑπὸ τροπὰς χειμερινὰς ἑπτάκις περὶ τὸν ναὸν περιφέρουσι, καὶ καλεῖται ζήτησις Ὀσίριδος ἡ περίδρομη τοῦ ἡλίου τὸ ὕδωρ χειμῶνος τῆς Θεοῦ ποθούσης, *Præterea vaccam ſub ſolſtitium hybernum ſepties circa templum circumferunt, & vocatur indagatio Oſiridis circulus ſolis, aquam byeme deſiderante Deâ.* Circulus ſolis annuum curſum denotat: unde *Baſilides qui omnipotentem Deum portentoſo nomine appellat Abraxas, eundem ſecundùm Græcas litteras, & annui curſûs numerum dicit in Solis circulo contineri*, ut refert D. Hieronymus in Amos. Ergo Vaccam ſepties circa templum circumferentes id vocabant circulum Solis: quia *Septem boves ſeptem annos* denotabant, famis quidem tenues, ubertatis plenæ & pingues. Vocabant & indagationem Oſiridis: quia in eo ritu Oſirim indagabant, ſive Joſephum Servatorem mundi ceu facientem theſauros pro univerſo à fame liberando. Namque Hebraïcum אוצר *Oſer* plurali numero אוצרים *Oſerim* eſt *theſaurizans, faciens theſauros*, & ſicut *Adonis* eſt ארונים *Adonim*, numeruſque pluralis loco ſingularis ibi ponitur, ita אוצרים *Oſerim* ſive *Oſirim* eſt *Oſiris*. Et verò quem Oſirim vocabant Ægyptii, Græci Plutonèm nuncupabant, teſtibus Diodoro & Plutarcho jam laúdatis: Plutonem verò Ditem à divitiis dicebant Latini. Siquidem Plutonis nomen impoſitum eſt κατὰ τὴν τοῦ πλούτου δόσιν *ob divitiarum largitiònem* ut Plato in Cratylo & Lucianus in Timone docent: Quòd ſi largitio divitiarum per Joſephum Servatorem mundi factam fuit in frugum diſpenſatione: τὸν Ὀσιριν πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐπελθόντα, τὸν κοινὸν βίον τοῖς ἡμερωτάτοις καρποῖς εὐεργετῆσαι, *totum orbem emenſum Oſirim mitiſſimis frugibus de vitâ communi benè meritum eſſe* aïunt Ægyptii apud Diodorum lib. 1. pag. 12. Quia verò *Panah* hoc in argumentum ingrediebatur Joſephi nomen *Sopheneth Panah*: Oſirim quoque πολλοὶ Πᾶνα νενομίκασι *multi Pana exiſtimant*, referente eodem auctore pag. 15.

Lux inde accedit nummo inſigni huic Deo inſcripto è muſeo clariſſimi D. Rigardi, de quo tum ille in re nummaria periciſſimus, cùm Franciſcus Graverol diſertus ac eloquens advocatus Nemauſenſis ſpecialem diſſertationem idiomate Gallico jam

habuerunt. Typus planè ſingularis talis eſt.



Quid ſuper hoc nummo conjecerint eruditiſſimi viri mox laudati, non hîc refero: ne doctè fuſas lucubrationes contraherem indoctus. Tantùm aperiam, quæ mihi ſentienda occurrerunt. In anteriori parte, meo quidem judicio, viſitur Oſiris imberbis & cornutus cum inſcriptione ΘΕΟΥ ΠΑΝΟC. Namque Oſirim, qui & abſque barba depingebatur, & cornutus erat, utpotè *ταυρόκερως*, qualis hîc conſpicitur, *multi Pana exiſtimant*: ut cum Diodoro jam dicebamus. Unde mirùm non eſt, quòd ille Pan *αἰγοπρόσωπος* non ſit, ſeu non præferat caprinam faciem, qualem citra Oſiridis ſimulacrum eo nomine ſemper obtinet. Id inſigniter illuſtratur in poſticâ ejuſdem nummi parte. Creſcentis lunæ cornua hæc ſupra tripodem præfert variis tęniis putà vittis exornata unà cum globulo papillato & quatuor punctis interſtincto, adjectis & inferiùs litteris LC. hoc eſt *λυκάβαντος σ΄. anno ducenteſimo*. Reapſe Oſiridi qui Herodoto, Diodoro, Plutarcho, Auſonio, aliiſque Bacchus eſt, ſacrum fuiſſe tripodem conſtat ex Theocriti epigrammatibus, ubì unum extat *εἰς τρίποδα τῷ Διονύσῳ in tripodem Baccho dicatum*. Solebant & tripodes in ſacris adhiberi: unde apud Virgilium lib. 5. Æneid. v. 110.

Sacri tripodes virideſque coronæ.

Quod cornutam lunulam ſpectat his amictam & exornatam tæniis, auctor eſt Plutarchus in Iſide, quòd *in Ægypto decima nona die menſis Athyr, noctu ad mare deſcenditur, & ſacram ciſtam ſtoliſtæ unà cum Sacerdotibus efferunt, in qua eſt intus aurea arcula, cui infunditur ab iis aqua potabilis, ac clamor tollitur ab his qui adſunt, vociferántibus Oſiridem eſſe inventum. Exinde tellurem frugiferam aquâ permiſcent, additiſque mixturæ aromatibus & ſuffimentis ſumptuoſis, ἀναπλάττουσι μηνοειδὲς ἀγαλμάτιον, καὶ τοῦτο στολίζουσι καὶ κοσμοῦσιν, imagunculam effingunt luniformem, & hanc amiciunt atque ornant.*

ornant. Itaque luniformis hæc imaguncula veluti inventi Oſiridis monimentum, ob eumque frugiferum è tellure frugiferâ efficta, cornutam lunulam propoſiti nummi Oſiridi vindicat. Quia verò Serapis eſt Oſiris: globulus ille papillatus lunulæ tæniis ſuperpoſitus exhibere videtur hunc *aureum vaſculum in modum papillæ rotundatum, de quo lacte libabat* unus Sacerdotum pompæ Serapidis apud Apulejum lib. 11. metamorph. Id ſignificabat Oſirim Ammonem eſſe, hoc eſt nutritium. Quippè *nutritius* Hebraïcè dicitur אמון *amon*: Oſirim verò *& Serapim & Ammonem* nuncupatum tradit Diodorus. An verò globulus ille papillatus quatuor interſtinctus ſit punctis ob nutriti orbis quatuor cardines, ſeu quatuor cardinalia puncta? Ipſi ſanè frugifero Oſiridi, ut refert idem Diodorus, totum orbem terrarum Ægyptii arrogabant; *uſque ad inhabitabiles Indorum regiones, & vergentes ad Arctum plagas: uſque ad Iſtri amnis fontes, cæteraſque partes uſque Oceanum*. Hoc eſt, uſque ad Orientem quem Indorum finibus deſignabunt antiqui: ad Septentrionem, quem definiebant Iſtri amnis fontibus: ad Occidentem & meridiem, quem Oceano circumſcribebant: his ita limitibus quatuor internoſcentes puncta orbis cardinalia.

Nec ratione carent illæ vittæ quæ Oſiriacam lunulam in propoſito nummo amiciunt atque ornant. Templa Deorum, altaria, ſimulacra, Sacerdotes, victimæ, &c. cingebantur ejuſmodi vittis: *ideò ut inertiam & imbecillitatem offerentis oſtenderent. Scimus enim oves, unde lana* & vittæ, *egere alieno ſemper auxilio*: quemadmodùm ait Servius in lib. 8. Æneid. ad hos Virgilii verſus:

Optime Grajugenum, cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

In hoc etiam argumentum jam dixerat idem poëta lib. 7. v. 237.

Præferimus manibus vittas ac verba precantum.

Et Amphycides ille quem Valerius Flaccus canit lib. 3. Argonaut. verſ. 424.

Tempora tum vittis, & ſupplice caſtus olivâ
Implicat, & ſtricto deſignat littora ferro:
Circum humiles aras, ignotaque numina divum
Inſtituit.

Item & alter vates ac idolorum Sacerdos apud eundem Flaccum lib. 4. verſ. 548.

Demum vittas, laurumque capeſſit,

Numina nota ciens.

Dum itaque nummus ille inſignis Deo Pani inſcriptus ad Oſirim ſpectat ut Servatorem & nutritium totius orbis: vittæ quæ in eo viſuntur, ipſi adhibitas fuiſſe preces pro victûs neceſſitate argumentum ſunt.

Hoc ſanè anno quo talis nummus excuſus eſt, ad eum quem Servatorem & nutritium orbis habebant, confugerent Ægyptii, & pro abundantiâ preces funderent, maxima occaſio fuit Africa. Annus quippè ducenteſimus in eo notatur, uti diximus. Era autem Ægyptio-Macedonum quæ Philippi eſt, & ſcalpto ab Ægyptio-Macedonibus huic nummo eſt addicendà, exordium ſumpſit ab anno periodi Julianæ 4390. Urbis conditæ Varroniano 430. duodecima die menſis Novembris in quam incidit Neomenia Thoth annorum Philippi initium: ut patet ex Cenſorini libello de die natali cap. 21. Ejus itaque annus ducenteſimus inivit die 23. menſis Septembris quæ fuit prima menſis Thoth anno periodi Julianæ 4589. V. C. 629. & ante Chriſti epocham 125. quo conſulatum geſſerunt *M. Plautius Hypſæus* & *M. Fulvius Flaccus*. Atqui hoc anno maximam ſterilitatem in Africam intulit ingens numerus locuſtarum, ut poſt Livium ſic teſtatur & deſcribit Oroſius lib. 5. cap. 11. *M. Plautio Hypſæo, & M. Fulvio Flacco conſulibus, vix dum Africam à bellorum excidiis quieſcentem, horribilis & inuſitata perditio conſecuta eſt. Namque cum per totam Africam immenſæ locuſtarum multitudines coaluiſſent, & non modò jam ſpem cunctam frugum abraſiſſent, herbaſque omnes cum parte radicum, & folia arborum cum teneritudine ramorum conſumpſiſſent: verumetiam amaras cortices atque arida ligna perroſiſſent, repentino arreptæ vento, atque in globos coactæ, portatæque diu per aërem, Africano pelago immerſæ ſunt.* Talis ac tanta calamitas, ſi conterminam Ægyptum non attigit, graviſſimâ ſaltem hanc affecit conſternatione: quippè quæ horribilis & inuſitata perditio nonniſi terrorem injicere vicinis poterat. Ergo vel ſuum Servatorem pro ubertate frugum implorantes Ægyptii, vel

ſaluti

ſaluti Africæ ſuis divitiis conſulentes, nummos hoc anno cuderunt, qui ſalutem Mundi à tanto excidio & præſtarent & innuerent. Quo circa tales nnmmi in memoriam noſtri Joſeph ſcalpti ſunt, quatenùs eum ſciebant parem ob cauſam *Salvatorem mundi* nuncupatum & in Servatore Sorapi adumbrabant.

Solebat enimcertè fame laborantium aſylum eſſe Ægyptus ejuſque Serapis eorum Servator haberi. Unde Sinopenſes quorum plures nummi Serapidis effigiem præferunt apud Goltzium & Harduinum, Simulacrum ejus Alexandriæ erigendum miſerunt *Ad Ptolemæum Philadelphum*, *qui eos fame laborantes miſſo ex Ægypto frumento obligavit*: ut quidam ſcribunt apud Clementem Alexandrinum in admonit. ad Gentes pag. 31. Adeo ut Alexandrinum fanum Serapidis *Sinopitæ Jovis magni templum* ob id vocetur à Dionyſio periegete verſ. 355. Quia enim eos à fame liberaverat Philadelphus *miſſo ex Ægypto frumento*, & famis liberatorem Joſephum in Serapide colebant Ægyptii: Serapidis cultum ſuſceperunt Sinopenſes, eique ſimulacrum Alexandriæ nuncuparunt in ubertatis monimentum hinc ſibi accerſitæ, in eo loco ſcilicet cui nomen *Rhacotis*, ubi *fuerat ſacellum Serapidi atque Iſidi ſacratum*. Auctore Tacito lib. 4. Hiſtor. cap. 84. Quæ enim *Rhacotis appellabatur*, *ea nunc Alexandriæ pars eſt navalibus imminens*, ut ait Strabo lib. 17. pag. 545. & confirmatur ex Stephano in urbibus. Rhacotis autem nomen habere videtur ab Hebraïco רחת *Rhachat* ſeu *Rhachot*, quod ſignificat *palam* inſtrumentum quo ventilando frumentum purgatur à paleis. Decebat enim ita vocari locum Serapidi ſacrum, ob frumentum quod adumbratus in eo Joſeph in ſterilitatis annos aſſervaverat.

Eò ſanè pertinet hieroglyphica hujus Simulacri expreſſio, quam ita delineat Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 20. *Calathum capiti ejus infigunt*, *& Simulacro ſignum tricipitis animantis adjungunt*, *quod exprimit medio eodemque maximo capite Leonis effigiem. Dextrâ parte caput canis exoritur*, *manſuetâ ſpecie blandientis. Pars verò leva cervicis*, *rapacis lupi capite fruitur: eaſque formas animalium draco connectit volumine ſuo*, *capite redeunte ad Dei dexteram*, *quâ conſpicitur monſtrum*. Calathum, inquit, capiti ejus infigebant modium nuncupatum à Ruffino dicente: *Hujus*

capiti modius ſuperpoſitus eſt: vel quia cum menſurâ modoque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præbere. Unde *quidam in honorem noſtri Joſeph formatum perhibent ſimulacrum, ob diviſionem frumenti, qua famis tempore ſubvenit Ægyptiis.* Calathum quidem ſeu vimineum vas ſupernè latius & paulatim in auguſtum deſinens, non modium, ſupra Serapidis caput exhibent varii nummi: ſed fortè virgatus ſeu vimineus erat rudis antiquitatis modius calathum ſive caniſtrum præferens, cujus generis videntur *tria caniſtra farinæ*, quæ *ſuper caput* ſuum viderat piſtor Pharaonis. Gen. XL. 16. Ut ut ſit calathus erat diviſionis & largitionis frumenti hieroglyphicum, ut conſtat ex calatho Cereris ab Albrico deſcripto. Calathum itaque ſeu vimineum modium Serapidis capiti ſuperimpoſuerunt in frumentariæ tributionis ac largitatis indicium. Nili autem inundationi fertilitatem terrarum debet Ægyptus, unde & boves ſomnii Pharaonis hujus prænunciæ *de amne conſcendere* viſæ fuerant. Atqui Ægyptii *Nili inundationem ſignificantes Leonem pingunt, quòd cùm Sol leonem ſubit, ampliorem Nili facit inundationem. Quandiu enim Sol in hoc ſigno perſiſtit, ſæpe numerò in duplum ipſius Nili aqua excreſcit. Unde & tubos canaleſque ſacrorum fontium ſolent ii qui ſacris præſunt operibus, leonis figurâ fabricari: Quapropter in hodiernum uſque diem, dum pro immodica inundatione preces effundant, leonis ſigno uti ſolent.* Quemadmodum ait Horapollo Hierogl. 20. Hinc leonem FRUGIFERUM nuncupabant. Unde Arnobius: *Inter deos videmus veſtros Leonis torviſſimam faciem mero oblitam minio, & de nomine* FRUGIFERI *nuncupari.* Cùm ergo frumentariam Joſephi liberalitatem Serapidis calatho ſignificaſſent: Stagnantis in frumenti copiam Nili hieroglyphicum exhibuerunt, medio tricipitis ſimulacri eodemque maximo capite Leonis effigiem exprimentes. Hujus autem ubertatis annos ſiniſtra toti Ægypto, ſiniſtra & orbi, ſterilitas exceperat, conjeceratque omnes in famem quæ prædicente Joſepho erat *conſumptura terram & magnitudinem ubertatis perditura*: qualem hieroglyphicè Lupus famelicus & rapax exhibet. De hoc enim agens Plinius lib. 8. cap. 22. obſervat *eundem in fame veſci terra*, quodque *huic quamvis in fame mandenti, ſi reſpexit, oblivionem cibi ſurripere aiunt, digreſſumque*

quærere

quærere aliud. Propter hoc itaque pars leva ſimulacri Serapidis rapacis lupi capite fruebatur. Dextrâ verò parte caput canis exoriebatur, manſuetâ ſpecie blandientis: propter vaticinium Joſephi de ubertatis ac ſterilitatis tempore. Nam *vatem volentes ſignificare canem pingunt* apud laudatum Horum Hierogl. 38. *quòd canis præter cætera animantia fixis in deorum ſimulacra intentiſque proſpiciat oculis, non ſecùs ac vates conſuevêre*. Quò accedit Macrobius de Serapæo cane dicens: *Item canis blandientis effigies futuri temporis deſignat eventum*. Has denique formas animalium draco connectebat volumine ſuo, capite redeunte ad Serapidis dexteram, in ſignum totius orbis: quia & *in univerſo orbe fames prævaluit* à Joſepho prædicta; & *Mundum exprimere volentes Ægyptii Serpentem pingunt, qui ſuam ipſius caudam rodat*. Hierogl. 2. Horapollinis. Nec abs re caput ſerpentis ad Sorapidis dextram redibat. Hac enim parte caput canis exoriebatur manſuetâ ſpecie blandientis, orbi ſcilicet famelico.

Serapæum ſeu Iſiacum canem *Anubim* qui & Mercurius, vulgò nuncupant: haud dubiè quia Joſeph erat חנוב *hanub*, & poſito plurali numero pro ſingulari חנובים *hanubim*, hoc eſt, *progerminans, frugifer, fructum proferens*. Nam *filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens*. Sive ut legit textus Hebraïcus בן פורת יוסף בן פורת *filius fructificans Joſeph, filius fructificans*: ut autem Arabs: *Filius fructifer veluti ramus fructifer Joſeph*. Gen. XLIX. 22. Sanè *Anubis* in pompa Iſiaca quam deſcribit Apulejus lib. 11. metamorph. *levâ caduceum gerens* oſtendebatur, *dexterâ palmam virentem quatiens* in progerminantis indicium. Et in Albini nummo Mercurius quem Neptuno ſuffuratum tridentem Lucianus fabulatur in dialogo Apollinis & Vulcani, unâ manu tridentem tenet, alterâ caduceum, cum inſcriptione SAECULO FRUGIFERO. item SAECULO FECUNDO in alio in quo turritam coronam defert, ac unà cum caduceo binas ſpicas in manu dextra gerit. Utriuſque meminit Gisbertus Cuperus in Harpocrate pag. 53. Verùm de Mercurio ſpeciali opere jam egi in lucem poſtmodùm edendo. Redeamus ad Servatorem Sarapim, de quo vetus inſcriptio apud Reineſium Voorburgi in Batavis reperta anno Christi 1624.

J. O. M.

J. O. M. SARAPI
ISIDI . FRUGIFERO
CÆLESTI . FORTUNÆ
BONO . EVENTO.

Frugifero Sarapi fortuna adjungitur, bonuſque eventus: quia ſacrum faciebant

FORTUNÆ . CONSER
VATRICI . HORREOR.

Apud Gruterum pag. 75. n. 1. item

GENIO . CONSERVATO
RI . HORREORUM

Ibidem num. 2. ubi notatur, quòd in uno latere aræ in qua leguntur illæ inſcriptiones, ſtat fortuna, capillo criſpo, diademata: dextrâ gubernaculum ſupra orbem, ſiniſtrâ cornucopiæ erectum tenens. In altero autem latere ſtat Sacerdos, imberbis, velatus, aræ tripodi in qua pineæ atque alii fructus ſunt, vinum infundens. Quis enimcertè ignorat frugiferum Joſephum è ſervo & captivo, vertente fortunâ, Salvatorem mundi renunciatum, ſegetes congregaſſe *in horrea Ægypti* pro ſterilitatis tempore, quo *in univerſo orbe fames prævaluit*? Gen. XLI. 47. 54. Ideo ergo fortuna ceu genius conſervator horreorum dextra gubernaculum ſupra orbem, ſiniſtra cornucopiæ erectum tenens exhibebatur. *Quamobrem cornucopiæ geſtantes bonus genius bonaque fortuna introducuntur* à Socrate apud Stobæum de agriculturâ agentem ſerm. 222. pag. 736. Extat etiam nummus Trajani Mediceus apud Em. Cardinalem Noriſium libro nunquàm ſatis laudando de Epochis Syro-Macedonum Diſſert. 4. cap. 5. §. 3. *Ubi*, inquit, *viſitur imago fortunæ, uti planè à Lactantio deſcribitur lib. 3. cap. 29. Nam ſimulacrum ejus cum copiæ cornu & gubernaculo fingitur; tanquam hæc opes tribuat & humanarum rerum regimen obtineat.* Sed & apud Patinum pag. 166. ac Harduïnum pag. 67. eſt nummus Domitiani cum fortunæ icone, Iſidiſve, quæ temonem & copiæ cornu gerit. Porrò copiæ cornu exhibentes *cornu bovinum depingunt*: ut Philemon ait apud Stobæum ſerm. 228. pro laude divitiarum ſcripto. Id quod etiam dixerat Socrates apud eundem ſerm. 222. ſuperiùs laudato, ac paſſim notum eſt. Boves enim abun-

abundantiæ quam prædixit Joſeph, præſagæ fuerant. Unde Anubîs pompæ Iſiacæ *veſtigium continuum ſequebatur bos in rectum levata ſtatum, bos omniparentis Deæ fæcundum ſimulacrum, quod reſidens humeris ſuis proferebat unus è miniſterio beato greſſu geſtuoſo.* Ut ait Apuleïus lib. 11. metamorph.

CAPUT III.

Iſis erat ſalus ab Ægyptiis invocata in memoriam ſalutis per Servatorem Joſephum latæ.

SErapidis comes individua Iſis eſt. Quocirca ſi Servator Serapis Servatorem Joſephum adumbret, in eum quoque Iſis recidit. Itaque *Iſis* eſt affixum Hebræorum ישעי *Iſhi*, hoc eſt, *Salus mea.* Namque οἱ Αἰγύπτιοι καλοῦσι ὕσης τοὺς σωθέντας, *Ægyptii vocant ſalvatos yſes*: auctore Joſepho lib. 2. antiq. Jud. cap. 5. Iſidem verò ita loquentem inducit Apuleïus lib. 11. metamorph. *Priſcâ doctrinâ pollentes Ægyptii, ceremoniis me propriis percolentes, appellant nomine reginam Iſidem. Adſum tuos miſerata caſus, adſum favens & propitia: mitte jam fletus, & lamentationes mitte, depelle mœrorem. Jam tibi providentia mea illuceſcit dies ſalutaris.* Hinc putabant apud eundem auctorem *Inferûm clauſtra &* SALUTIS *tutelam in Deæ manu poſita, ipſamque traditionem ad inſtar voluntariæ mortis & precariæ* SALUTIS *celebrari*: tranſactiſque vitæ temporibus, *jam in ipſo finitæ lucis limine conſtitutos ... & ſuâ providentiâ quodammodo renatos, ad nova reponere rursùs* SALUTIS *curricula.* Inſignis ad hoc illuſtrandum eſt Claudii nummus æneus, in quo Iſis cum ſiſtro ac ſitulâ eſt, hâc inſcriptione SALUS AUG. apud Marshamum in chron. can. ſæc. pag. 42. Extat etiam vetus inſcriptio apud Gruterum pagina 83. num. 15. *Iſidi ſalutari* nuncupata:

SÆCULO . FELICI
PHISIAS . SACERDOS . ISIDI . SALUTARIS
CONSECRATIO.

Iſidi ſalutaris pro *Iſidi ſalutari* mendosè poſuit imperitus ſcalptor. In idem argumentum adducitur & alia pag. 34. n. 8.

ISIDI . SERAPIDI . LIBER
LIBERÆ . VOTO
SUSCEPTO . PRO . SALUTE
SCAPULÆ FILI . SUI
P. QUINCTIUS . PARIS
S. L. M.

Eôdem ſpectabant plures antiquitatis tabellæ appoſitæ in templis Iſidis.

Pictores quis neſcit ab Iſide paſci?

Canit Juvenalis ſat. 12. verſ. 29. quo ſenſu ſcilicet Tibullus Iſidem pro ſalute invocaverat dicens lib. 1. eleg. 3. verſ. 27.

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi: nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Diis enim Servatoribus annumerabatur Iſis. Unde Artemidorus lib. 2. cap. 44. Oneir. *Sarapim, Iſim, Anubim, Harpocratem* cum ſuis ſtatuis ac myſteriis in ſomnis viſos celebrans, ait: ἀεὶ γὰρ σωτῆρες νενομισμένοι εἰσὶν οἱ θεοὶ, *Semper enim Servatores crediti ſunt hi Dii.* Quocircà Ovidius lib. 2. amor. eleg. 13. pro ſalute ſuæ Corinnæ ſic Iſim orat:

Iſi paratonium, genitaliaque arva Canopi.
Quæ colis, & Memphim, palmiferamque Pharon.
Per tua ſacra precor, per Anubidis ora verendi,
Sic tua ſacra pius ſemper Oſiris amet:
Pigraque labatur circum donaria ſerpens,
Et comes in pompa corniger Apis eat:
Hûc adhibe vultus, & in unâ parce duobus,
Nam vitam dominæ tu dabis illa mihi.

Quod de Serpente addit poëta, indicat quòd Iſis eſt Dea SALUS, quæ hâc inſcriptione ſerpentem paſcere viſitur in variis nummis, & quæ *Romana Salus* vocatur ab eodem Ovidio lib. 3. Faſt. ſiquidem *Simulacris, & Æſculapii & SALUTIS draco ſubjungitur*: ut Macrobius ait lib. 1. Saturn. cap. 20. Sarapim verò *multi Æſculapium, quòd medeatur ægris corporibus: quidam Oſirim antiquiſſimum illis gentibus numen* cenſent apud Tacitum lib. 4. Hiſtor. cap. 84.

Unde

Unde quia Sarapis eſt Joſeph: *Salvatorem Mundi* Joſephum adumbrat *opifer* Æſculapius, *totique ſalutifer orbi*, apud Ovidium lib. 2. metamorph. fab. 6. verſ. 32. Nec enim alio ſpectat Æſculapii nomen. Nam *Æſculapius* eſt חשכול אב *haſcul-ab*, hoc eſt, *Secundus* ſeu proſper *pater* ob latam ſalutem, quâ σωτὴρ *Salvator* dicitur in Orphicis. Quin & Sicyonicum Simulacrum Æſculapii cujus meminit Pauſanias in Achaïcis pag. 230. ἄγαλμα ὑγείας τε ὀνομάζεσθαι, *Signum ſalutis nominatur*. Hinc ſicut Æſculapium *repertorem medicinæ*, celebrant, maximè Virgilius lib. 7. Æneid. verſ. 772. eumque Græci vocatunt ἀρχιάτρον *principem medicorum*: ita *Iſim multa ſanitati hominum pharmaca inveniſſe Ægyptii tradunt*, eamque vocant *ſcientiæ medicæ peritiſſimam*, apud Diodorum lib. 1. pag. 15. Unde vox Iſis etiam illuſtratur ex Syrorum ܐܣܐ *eſo* & ܐܣܝ *aſi*, i. *ſanavit*, *curavit*: Chaldæis אסא *aſa*, in ithpaël אתסי *itt-iſi*, quibus & אסי *aſe* eſt medicus, voxque אסו *aſu* vel איסו *iſu*, ut Buxtorfus legit, exponitur *Salutifera* in paraphraſi Chadaïca Gen. III. 6. & apud Rabbinos eſt etiam *ſalus*.

Neque prætermittenda eſt famoſa inſcriptio pro ſalute imperatoris Antonini ſcalpta in Ægypto, quam ita Gruterus exhibet pag. 85. num. 1.

ΕΙϹΙΔΙ ΦΑΡΙΑ
ΕΙϹΙΝ ΤΗΝ
ΕΝ ΜΕΝΟΤΘΙ
ΤΠΕΡ ϹΩΤΗΡΙΑϹ
ΤΟΤ ΚΤΡΙΟΤ ΗΜΩΝ
ΑΤΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΤ

Hoc eſt *Iſidi Phariæ Iſim* ſeu ſimulacrum Iſidis *in Menuthi pro ſalute Domini noſtri imperatoris Antonini*, ſupple ἀνέθηκε *poſuit*: Sed quis? injuria temporum ignoratur. De Menuthi Ægyptiorum vico agunt Stephanus in urbibus, D. Epiphanius in fine Hæreſeon compendio perſtringens veram doctrinam de fide, & Metaphraſtes in vitâ SS. Cyri Abbatis & Joannis monachi apud Surium die 31. Januarii, niſi quòd *Manuthe* pro *Menuthi* poſuit, ita vicum hunc deſcribens: *Ab hâc enim civitate, Canopo inquam, diſtat quidam vicus ſpatio duorum ſtadiorum, nomine Manuthe.*

Hic autem vicus erat dæmonum habitatio, & verſabantur in eo maligni ſpiritus. Eò reſpexiſſe videtur Ovidius, cùm Iſim Phariam quæ colebatur in inſula Pharos, arva Canopi habitaſſe jam nobis cecinit, dicens:

Iſi paratonium, genitaliaque arva Canopi
Quæ colis, & Memphim, palmiferamque Pharon.

Ad hæc ISIS FARIA etiam in nummis celebratur; & *Iſidis Pharia* meminit Minutius Felix in Octavio. Sed & SACRUM . PHARIAE . ITEM . SARAPIA . Iſidis & Sarapidis feſta erant *menſe Aprili* celebrata in Colotiano Romanorum Calendario apud Gruterum pag. 148. lux inde accedit Tertulliano lib. de pœnit. cap. 12. ubi de pœnitentia ait, quòd ſit *humanæ ſalutis quaſi pharis*. Quòd enim Pharos inſula eſſet locus Iſidis, erat Pharos ſalutis, talemque expreſſionem facilè ſuggeſſit Tertulliano, de quo Pamelius ad hunc locum ait ipſum alludere *ad turrim Pharon quæ in inſula Pharo inter orbis miracula à Plin. lib. 36. cap. 13. & Strabone lib. 17. recenſetur*.

Quòd Iſis coleretur in inſulâ Pharo, Pharia nuncupata vulgò creditur. Mihi tamen ſatius videtur, quòd quia Iſidis Pharię præcipuus & fortè primus cultus hoc in loco factus eſt, nomen Pharos ipſi obvenerit. Siquidem Hebraïcum פרה *Phara*, plurali numero פרות *Pharoth* & Græca terminatione *Pharos*, ſignificat *Juvencam*. Iſidem verò canente Martiali lib. 10. Epigr. 43.

Nuntiat octavam Phariæ ſua turba Juvencæ.

Re quidem ipsâ τὴν Ἶσιν Αἰγύπτιοι βουκέρων καὶ πλάττουσι καὶ γράφουσι, *Iſim bovis habentem cornua & fingunt & pingunt Ægyptii*: apud Ælianum lib. 20. de animal. cap. 27. iidemque apud Plutarchum in Iſide aïunt *Mercurium impoſuiſſe ipſi galeam* βουκέρων *è bovis capite*. Hinc *Vaccas immolare non licebat Ægyptiis, utpote Iſidi conſecratas*: τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήϊον, βούκερών ἐστι, *bubulis enim cornibus præditum eſt muliebre Iſidis ſimulacrum*: ut ait Herodotus in Euterpe pag. 118. Diodorus quoque lib. 1. pagina 7. hanc ferre cornua tradit: *Quia bovem apud Ægyptios conſecratam habet*. Nobile ſalutis argumentum inde habemus, quam mundo attulit fructifer Joſeph, boves ſomnii Pharaonis interpretatus. Nam bovem Iſidi ſacram & delatam in pompa Iſiaca quam de-

ſcripſit Apuleïus, *Bovem omnipotentis Deæ fæcundum Simulacrum* dictam vidimus. Vetuſtam inſcriptionem Gruterus etiam perhibet pag. 83. n. 10.

ISIDI FRUCTIFERÆ

Eadem ut βοῶν περὶ μορφὴν *bovinam in formam* immutata dicitur θεὰ φερέκαρπος *Dea fructifera*, à Nonno lib. 3. Dionyſ. verſ. 272. 274. In nummo Severi apud Patinum & Harduinum viſitur Iſis, dextrâ ramum, copiæ cornu lævâ gerens. Quod ſi boum ſomnii Pharaonis, aliæ fuerint ſterilitatis & famis præſagæ: Vacca Jo ſive Iſis νήστισιν αἰκίαις *famelicis plagis* concitata dicitur Æſchylo in Prometheo vincto verſ. 576. Quòd enim Jo ſit Iſis conſtat inter alios ex Apollodoro lib. 2. Biblioth. ubi ait quòd *Jonem quoque Iſidem appellarunt*. Nec abs re dixerat eam Telegono Ægypti nupſiſſe. Chaldaïcum enim לגנה *legona* quod præpoſito ת nominum ſæpè formativo fit תלגנה *telegôna*, eſt *ager cultus*, *area ſativa*: quò etiam pertinere poteſt copiæ cornu fructiferæ Iſidis. *Agrum enim ferunt copiæ cornu eſſe*, ut ait Phocylides apud Stobæum ſerm. 122. Haud dubiè Telegoni & Jûs conjugium ejuſdem generis erat, quod ætheris & terræ, de quo Virgilius libro 2. Georg.

Tum pater omnipotens fæcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.

Quemadmodùm autem bovina cornua Iſidi data ſunt, ut boum inſigne, quas per ſomnium à Pharaône viſas de futura ubertate ac penuriâ interpretatus eſt Joſeph: ita coronâ ſpiceâ eadem redimita eſt in ſpicarum indicium, ejuſque quo boves argumenti. *Si Leonis Ægyptii ſcripta evolvas*, inquit Tertullianus lib. de coronâ militis cap. VII. *Prima Iſis repertas ſpicas capite circumtulit*. Ejuſdem ſimulacrum *Spicis etiam cerealibus deſuper porrectis* Apuleïus celebrat lib. 11. metamorph. Hinc Avienus in paraphraſi Aratea à Salmaſio in Solinum emendatus pag. 1236. Sic Iſim alloquitur.

Aut Peluſiaci magis es Dea littoris Iſis
Digna tori conſors & cura latrantis Anubis.

Seu

Seu tu diva Ceres: ſic nam tibi fragrat ariſta,
Et ceu Siriaco torretur ſpica calore
Portentata manu.

Idem ſed uberiori argumento cecinetat Ovidius libro 9. Metamorph. fab. 11. his verſibus:

Cùm medio noctis ſpatio ſub imagine ſomni,
Inachis ante torum pompâ comitata ſacrorum
Aut ſtetit, aut viſa eſt: inerant lunaria fronti
Cornua, cum ſpicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus: cum qua latrator Anubis.
Sanctaque Bubaſtis, variiſque coloribus, Apis,
Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet:
Siſtraque erant, numquamque ſatis quæſitus Oſiris.

Qui hâc in pompâ premit vocem, digitoque ſuadet ſilentia, eſt Harpocrates qui à Caſſiodoro lib. 5. Variarum cap. 17. vocatur HARPOCRAS, & conflatur ex Arabicis vocibus ارب فوة قرص *arb-phob-carats*, ſive *Arpocras*, quæ ſunt ad verbum: *indice digito os compreſſit*. Nam tali digito os comprimentem Harpocran paſſim exhibent ejus icones. Iſidis autem & Serapidis comes individuus erat Harpocrates: quia *ferè in omnibus templis, ubi colebantur Iſis & Serapis, erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut ſilentium fieret*: Prout ex Varrone tradit D. P. Auguſtinus lib. 18. de civit. Dei cap. 5. Illud autem ſimulacrum erat Harpocratis, ut ait idem Varro lib. 3. de linguâ latinâ. Unde vetus inſcriptio apud Gruterum pag. 82, n. 8.

ISIDI
SIGN. HARPOCRATIS

Jam vidimus ex Artemidoro Iſim, Sarapim, Anubim, Harpocratem nunc ab Ovidio decantatos, ſemper creditos fuiſſe *Servatores*. Quia ergo hac in pompa inſignia Iſidis ſeu ſalutis erant

Cornua cum ſpicis nitido flaventibus auro.

Qualia fuerunt ſalutis per Joſephum latæ: *Salvator mundi* Joſeph rectè ibi intelligitur, in Iſide quidem *ſub imagine ſomni* viſa tanquam ſalutem ferens ſomnia de bobus & ſpicis interpretatus: in Sorapi, ut nomen ab his bobus & ſpicis habens: in Anubi ut fructum proferens & elargiens: in Harpocrate Deo ſecretorum & conſi-

conſiliorum habito, ut *Salutaria & fida conſilia ſuggerens*. Tale enim credebatur eſſe munus *Conſi filii Iſidis*, quem eſſe Harpocratem obſervat Cuperus in ſuo Harpocr. pag. 27. Nec Conſi nomen Joſepho officit. Videtur enim Hebraïcum כונס *cones* ſeu *cons* quod *colligentem*, *congregantem*, *congerentem* ſignificat, qualis fuit Joſeph, cujus cura *in manipulos redacta ſegetes congregatæ ſunt in horrea Ægyptii*. Gen. XLI. 47. Atque ideo fortè idem vocatus eſt ab Ægypriis *Peteſeph*, ut teſtatum reliquit Joſephus libro 1. contra Apionem. Nam בית אסף *beth-oſeph* aut *beth-eſeph* eſt *domus collectionis*: & quia B & P ſunt invicem permutabiles, ut jam vidimus, nomen *bethèſeph* facilè tranſiit in *peteſeph*. Niſi dicatur *peteſeph* eſſe פדה אסף *pada oſeph*, i. *redemit congregans*: nam ת & ד etiam invicem permutantur; ideoque *pada oſeph* erit *pata oſeph*, & geminatis vocibus פתאסף *patoſeph* ſeu *peteſeph*. Bubaſtin ſeu Dianam in pompa Iſiaca addidit Ovidius: quòd nutriti orbis per Salvatorem mundi Joſephum argumentum hæc facilè innuat. Siquidem Diana multimammia exhibebatur ſpicas manu præferens, qualis proſpicitur in nummo M. Aurelii apud Neapolim Syriæ Palæſtinæ ſcalpto quem penitioris antiquitatis lumen ſapientiſſimus Cardinalis noſter Noriſius illuſtrat lib. de Epoch. Syro-Macedon. Diſſert. 5. cap. 5. §. 2. maximè ex D. Hieronymo dicente multas Dianæ mammas *omnium eam beſtiarum & viventium eſſe nutricem* ſignificare apud Ethnicos. Quin & Bubaſtis ſeu Diana multi-mammia pro Iſide ſumitur cui *Bubaſtus civitas ædificata*, teſte Diodoro lib. 1. pag. 16. & de quâ Macrobius agens lib. 1. Saturnal. cap. 20. ait quòd *continuatis uberibus corpus Deæ omne denſatur*.

Nutritius & Salvator mundi tunc præſertim eluxit Joſeph, cùm ubertatis magnitudinem abſumebat ſumma ſterilitas: ideoque fabulantur, quòd Diana *aprum immiſit & magnitudine & robore inſignem, qui terram coli, ac in ea ſata fieri minimè ſinebat, pecoraque omnia, & obvium quemque tollebat è medio*, uſque dum *Meleager Oenei transfoſſo latere belluam interfecit*. Fabulam ita narrat Apollodorus lib. 1. Biblioth. ſicut & Hyginus fab. 172. Aper enimcertè eſt ſterilitatis hieroglyphicum: quia ubi paſtum capit, fruges & fruteta exterminat. *Exterminavit eam aper de*

Sylva:

Sylva: & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Pſal. LXXIX. 14. Quòd ſi poëtam audiamus:

Et ferus in Silva farra metebat aper.

Hinc Ovidius Aprum à Diana immiſſum ita decantat lib. 8. Metamorph. fab. 4. verſ. 30.

Fulmen ab ore venit: frondes afflatibus ardent.
Is modò creſcentes ſegetes proculcat in herba:
Nunc matura metit fleturi vota coloni,
Et Cererem in ſpicis intercipit. Area fruſtrà,
Et fruſtrà expectant promiſſas horrea meſſes.
Sternuntur gravidi longo cum palmite fœtus,
Baccàque cum ramis ſemper frondentis olivæ.

Quia verò ſepoſitis ad uſum famelicorum frugibus, inopiæ occurrit Joſeph præ multitudine frumenti quod collegerat: ideò Meleager aprum hunc interfeciſſe dicitur. Hebræis enim מלא *melo* eſt *plenitudo, multitudo, abundantia*, Chaldæis dicta מלי *mele*, Syris ܡܠܐ *molo*: unde Arabicum ملا *mela* ſeu *melaon* pro *opum multitudine* ſumitur. Ipſi etiam Ægyptii nomen facientes ſuo fluvio qui totius regionis abundantia & opulentia eſt, vocaverunt eum *Melo*; ut conſtat ex Feſto in Alumento, Servio in 1. Æneidos, Auſonio, &c. Græci verò pro *Melo* poſuerunt Μίλας, ut præter Euſtathium Homeri enarratorem legit Plutarchus lib. de flumin. & Traſyllus in Ægyptiacis apud Stobæum ſerm. 243. pag. 793. Porrò Hebraïcum אגר *agur* ſignificat *congregare, congerere*, frumenta ſcilicet de quibus propriè dicitur. Quo ſenſu divinus Salomon pigrum mittit ad formicam, quæ *parat in æſtate cibum ſibi, &* אגרה בקציר *congregat in meſſe, quod comedat*. Proverb. VI. 8. Inde Chaldaïcum אוגר *oghar*, in aliâ formâ אגר *egher, congregatio, collectio*: & Græcum ἀγείρω, *congrego, colligo*. Itaque מלי אגר *mele-agher* eſt *abundantia collectionis*. Ille ergo aprum ſterilitatis hieroglyphicum interfeciſſe dicitur: quia *Segetes congregatæ ſunt in borrea Ægypti*, ut proſpiceretur annis famis. Nec abs re addunt Jaſonem & Theſeum ad Meleagrum veniſſe. Nam ישע *Jeſhah* & תשועה *theſhuhah*, ſignificant *ſalutem, auxilium, conſervationem*. Quod eluxit in abundantia per-congregantem Joſephum univerſo accerſita.

Objiciet

Objiciet aliquis, quòd Ἰνάχου τὴν Ἰὼ λέγουσιν *Inachi filiam Jonem* ſive Iſidem *dicunt*: ut ex Caſtore ac compluribus tragædiarum Scriptoribus inter alios refert Apollodorus lib. 2. Biblioth. Inachum autem Argivorum regem fuiſſe nemo neſcit. Proindeque ruit tota Iſidis ad ſervatorem Joſephum relatio. Verùm quis non videat boves Pharaonis in bovinâ Iſidis formâ repræſentatas eſſe τοῦ Ἰνάχου? Eas enim de amne emerſiſſe per ſomnium videns Pharao ac interpreti Joſepho referens, dixit: הנה אחו *Inneachu*, & geminatis vocibus הנאחו *Innachu*, hoc eſt, *Ecce ripa graminoſa, Ecce paſtus paludis*, in quo ſcilicet boves *virecta carpebant*. Gen. XLI. Et verò *Inachus* etiam pro flumine accipitur, ex eòque Ionem emerſiſſe decantans Ovidius eam in ripa ſic contemplatus eſt lib. Epiſt. Heroid. Ep. Hypermneſtræ ad Lynceum verſ. 91.

Aſtitit in ripa liquidi nova vacca parentis
Cornuaque in patriis non ſua vidit aquis.
Et conata queri mugitus edidit ore:
Territaque eſt formâ, territa voce ſuâ.

Item Valerius Flaccus lib. 4. Argon. verſ. 373.

Ultima tum patriæ cedens dedit oſcula ripæ.

Infer. *Inachias errare etiam defertur ad undas,*
Qualis & à primâ quantùm mutata Juvencâ.

Quia verò flumen in cujus ripa boves viderat Pharao, erat Nilus: Jure merito Ovidius bovem Jonem adhuc celebrans ita canit lib. 2. Metamorph. fab. 8. verſ. 153.

Ultimus immenſo reſtabas, Nile, labori.
Quem ſimul ac tetigit, poſitis in margine ripæ
Procubuit genibus.

Vocem *acbu* Septuaginta non interpretantur, ſed vertunt: καὶ ἐβόσκοντο ἐν τῷ Ἄχει *& paſcebantur in Achi*. Haud dubiè vox *Achi* in uſu erat apud Ægyptios & Ægyptio-Macedones, quibus ſuam verſionem fecerunt. Nam & Ἰναχὶς Ἰὼ εἰσέτι πόρτις ἰοῦσα, *Inachis Io adhuc vitula exiſtens* celebratur à Moſcho in Europa verſ. 44. Ubi notandum quod Græca vox πόρτις quæ *vitulam* ſonat, aptè reſpondeat Hebraicæ פרות quæ boum Pharaonis eſt. Ideò verò bovinam ſpeciem præferens Inachis dicta eſt *Jo* quia ſomnium de bobus Deo revelante habuerat Pharao. Unum ex Dei nomini-

bus apud Hebræos eſt יו : Unde Poëtarum ſuum Deum invocantium vox *Jo-pean*, Græcè Ἰὴ Παιὰν, eſt Hebræorum יה פנה *Ja-pene*, i. *Domine reſpice*.

Pluribus quæ ad Jonem ſpectant, nunc ſuperſedeo. Cùm de illis fusè agam demonſtrans Joſephum eſſe Mercurium Ægyptiorum. Ad quid tamen Argum centum oculorum, quem viſu deturbaverit unus Mercurius, divinæ hujus vaccæ cuſtodem finxerint: paucis ſubnotabo. Sicut *longa* Argonautarum navis dicta *Argo* eſt ארכא *archo*, & πολυχρόνιος ſeu *longævus* Argantonius Tarteſſi rex eſt ארך ענתא *arch-antho*, apud Bochartum in Chanaan: ita Ἄργος eſt ארחות *archoth*, Græcâ terminatione *Archos*, ex ſingularis numeri vocabulo ארחא *archa* vel *orcha*, quod *comitatum*, *cohortem* ſignificat. Adeo ut Argus centum oculorum ſit comitatus centum videntium ſeu prophetarum: *Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns*. I. Reg. IX. 9. Revera Ægyptiorum videntes ſeu potius conjectores quos & prophetas & ſacerdotes ab ipſis nuncupatos varii nos edocent ex antiquis, erant *numero centum*: teſtibus Solino cap. 32. & Aminiano Marcellino lib. 22. Nec aliò ſpectat *centimanus Briareus*. Quid enim aliud teſſerarius ille Gigas eſt: niſi בריא ראש *bria-roſh* ſeu *briareoſh*, hoc eſt, *creatio principis* centum manuum calculis facta? Nam in creatione principis Ægyptiorum προφητικὴ ψῆφος ἑκατὸν χειρῶν ἐστὶ, *propheticus calculus centum manuum eſt*, apud Syneſium in Ægyptio. Eôdem quoque pertinere Thebarum Ægyptiarum centum portas ceu Senatorum centum ſedes fusè alibi demonſtro. Jam conſtat ex ſacris paginis, quòd ubi primùm ſomnia de bobus & ſpicis habuit Pharao, miſit *ad omnes conjectores Ægypti, cunctoſque ſapientes*, Gen. XLI. 8. Ad Argum itaque centum oculorum tunc confugit, ſive ad comitatum centum conjectorum Ægypti; quem idcirco vaccæ Jûs cuſtodem fabulati ſunt.

APPENDIX

De tempore Iſiorum, & ætate Gemini.

ABSTRUSISSIMAS inter Chronologiæ difficultates locum obtinet quæſtio de Iſiorum tempore, & ætate Gemini, quæ perdifficilis Petavio viſa eſt: & Scaligerum in dubitationem injecit, ad quam, inquit, *nihil quod reſpondeamus*, *habemus*. Iſia ſcilicet ſolemnia Ægyptiorum erant in honorem Iſidis celebrata: & 120. annis poſtquàm hæc inciderunt in Solſtitium hyemale ſecundum Eudoxum & Ægyptios notatum, Geminus ſcribebat elementa ſua Aſtronomica, librum antiquitatis ſtudioſis pernecceſſarium. Unde quod in tempore Iſiorum, hoc in Gemini ætate negotium faceſſit Chronologia: nec unum expediri poteſt, & expendi, alio nobis impedito, & obſcuro. Hinc tempus hujus Scriptoris ponderans Scaliger nil prorſus dicendum habuit, illegitimum Iſiorum diem jam ſubodoratus: ſummamque difficultatem in hoc Petavius expertus eſt, ſpurium quoque nactus ejuſdem feſtivitatis alterum diem.

Itaque Iſia non *in VI. Paophi* competebant, ut placuit Scaligero lib. II. de emendat. temp. cap. de Octaeteride Eudoxi: neque conjicienda ſunt in XVII. menſis Athyr, ut contendit Petavius lib. II. de doctr. temp. cap. 6. & in Uranologio notis in Geminum. Sed celebrabantur à prima die menſis Athyr ad quintam incluſivè; uti mox oſtendo. Ex quo annus Ægyptiorum vagus evaſit in fixum, quod anno captæ Alexandriæ factum eſt, eorum dies feſti fixi quoque fuerunt: quales exhibentur à Plutarcho in lib. de Oſiride & Iſide. Unde ſi qui ſint anno Juliano affixi, ex ejus connexione cum anno Alexandrino agnoſcitur tempus quo celebrabantur ab Ægyptiis. Quod præſertim pro Iſiis valet,

ſeu Sacris Iſidis, quæ apud Romanos invaluerunt tempore quo annus Alexandrinorum non erat vagus; nēpè à tempore Caracallæ qui à Spartiano dicitur, *ſacra Iſidis Romam deportaſſe, & templa ubique magnifica eidem Deæ feciſſe*. Jam conſtat ex veteri Romanorum Kalendario ſub Conſtantio Imperatore Conſtantini Magni filio confecto quod Hervvartus, Petavius, Bucherius & Lambecius evulgarunt; ac magiſtro ſeu Petro Commeſtori notum fuiſſe obſervat Eminentiſſimus Cardinalis Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. III.cap.3. quòd *Iſia* celebrabantur *V.IV.III. prid.* & *Kal. Novemb.* hoc eſt, die XXVIII.XXIX.XXX. & XXXI. menſis Octobris ac I. menſis Nouembris. Sic enim habetur in hoc Kalendario:

G e V. *Iſia. Evictio Tyranni.*

A f IV. *Adventus Divi. cm.XXIIII. Iſia.*

B g III. *Ludi votivi. Iſia.*

C h *Prid. Ludi. Iſia.*

D A *Kal. Novemb. Ex Senato. cm. XXIIII. S. L. Iſia.*

Atqui his diebus reſpondent primus, ſecundus, tertius, quartus, & quintus Athyr Alexandrinorum fixi. Ergo à primo ad quintum incluſivè celebrabantur Iſia.

Eò ſpectat figura menſis Novembris laudato Kalendario apud Bucherium præfixa. In ea enim viſitur Sacerdos Iſidis attonſus & amictus veſte carbaſeâ, manu dextrâ ſiſtrum portans, adeòque his annumerandus de quibus Martialis lib. XII. Epigr. XXIX.

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba.

Viſitur & diſcus in manu ejus ſiniſtrâ ſuppoſitus Serpenti quem Iſidi comitem dat Ovidius lib. 9. Metamorph. fab. 11. & quo coronatam eam canit Valerius Flaccus lib. 4. Argon.

Et procul Jo
Spectat ab arce poli jam divis addita, jamque
Aſpide cincta comas, & ovanti perſona ſiſtro.

Tum proſpicitur columna, eique ſuperpoſitum caput canis ſeu *latrantis Anubis*. Nam in ſacris Iſidis quæ Juvenalis irridet ſat.6.

præcipuum ſummumque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus & grege calvo
Plangentis populi currit deriſor Anubis.

Hinc

Hinc Iſiaci Sacerdotes faciem caninam etiam induebant, ut ex auctore carminis ad Senatorem conſtat inter Tertulliani opera; ſuoque exemplo ratum fecit Commodus Imperator, teſtibus Lampridio in ejus vita, & Spartiano in Peſcennio Nigro. Adſunt prætereà in eâdem Iſiorum effigie mala punica quæ Cereri ſacra fuiſſe docet Joannes Meurſius in Eleuſiniis cap. 25. Cererem verò Iſim eſſe notiſſimum eſt, præſertim ex Diodoro, Plutarcho, Hygino, &c. Denique anſer ibidem cernitur, ſacer etiam Iſidis; juxta illud Ovidii lib. 1. Faſt. verſ. 454.

Nec defenſa juvant Capitolia, quo minus anſer
Det jecur in lances Inachi lauta tuas.

Id partim exprimitur vetuſtiſſimo in hanc figuram tetraſticho:

Carbaſeos poſt hunc artus indutus amictus,
Memphidos antiquæ ſacra Deamque colit.
A quo vix avidus ſiſtro compeſcitur anſer,
Devotuſque ſatis incola Memphi Deis.

Sive, ut Auſonius in Novembrem canit idyl. XX.

Carbaſeo ſurgens poſt hunc indutus amictu,
Menſis ab antiquis ſacra Deamque colit.
A quo vix avidus ſiſtro compeſcitur anſer,
Devotuſque ſatis ubera fert humeris.

Cùm hos verſus ſibi objeciſſet Scaliger, reſpondit: Solemne ,, Memphiticum Novembris non eſſe Ἴσια, ſed εὕρεσιν Ὀσίριδος. ,, Nam, inquit, ἀφανισμὸς Ὀσίριδος celebrabatur XVII. Athyr, ,, teſte Plutarcho, hoc eſt XIII. Novembris: item εὕρεσις Ὀσί- ,, ριδος eodem menſe celebrabatur, ut conſtat ex Calendario ,, ruſtico, quod exſtat Romæ, in quo in menſe Novembri cui ,, Athyr reſpondet, feſtum EURESIS notatum eſt. Ignorabat ſcilicet ille temporum emendator Iſia competere in Calendas Novembris, utpote celebrata à primâ menſis Athyr ad quintam incluſivè. Ignorabat & figuram de qua jam egimus. In hâc enim nihil de Eureſi Oſiridis ſignificatur, nihilve quod non ſpectet ad Iſia. Egregie tamen idem obſervavit feſtum quod incidebat in diem XVII. menſis Athyr non eſſe Iſia ſed Oſiridis Eureſim, quemadmodùm evincunt ejus rationes perperàm diſſimulatæ à Petavio, quem etiam neſcio quo pacto, dies Iſiorum fugerunt in Ca-

lenda-

lendario notati ab ipſo edito in lucem in Uranologio. Haud dubiè illud perlegerat nimium præceps. Quod ex eo potiſſimùm demonſtratur quòd Hervvarti ſententiâ cæciter præoccupatus illud confectum ſtatuat *Conſtantini Magni temporibus, ipſo año Chriſti CCCXXV. quo Synodus prima Nicæna celebrata*. Si enim illud attentè, & abſque præoccupatione legiſſet, obſervaſſet Conſtantinum in eo ſupponi mortuum, ut pote Divum nuncupatum: obſervaſſet & alia, quæ omninò ſpectant ad Imperium Conſtantii ejus filii, ut videre eſt apud Bucherium, & Lambecium.

Prætereà teſtis eſt Plutarchus in lib. de Oſiride, & Iſide, quod *cùm Ægyptii ſacra operantur, multa eodem tempore ſimilia apud Græcos aguntur. Nam & Athenis mulieres Theſmophoria obeuntes jejunant humi deſidentes. Et Bæoti Achææ Megara movent, feſtivitatemque eam moleſtam nominant: quòd nimirùm Ceres ob Proſerpinæ filiæ deſcenſum in dolore ſit. Fiunt hæc menſe ſationis circa Virgiliarum ortum, quem menſem Athyr Ægyptii, Pyanepſionem Athenienſes, Bæoti Damatrium, i. Cerealem, nuncupant.* De Theſmophoriis agens Joannes Meurſius lib. 4. de feſtis Græcorum docet *initium ſacrorum celebrandorum in decimum quartum menſis Pyanepſionis, finem in decimum octavum incidiſſe*: ita ut Theſmophoria, ſeu ſacra Cereris quam Iſim eſſe jam ſignificavimus, diebus quinque celebrarentur apud Athenienſes, ſicut & Iſia ſeu ſacra Iſidis apud Ægyptios. Jam conſtat quòd Pyanepſion Athenienſium partim Octobri partim Novembri reſpondebat, ac decimaquarta hujus menſis cyclicè incidebat in vigeſimam octavam menſis Octobris. Sic anno Nabonaſſaris 466. Periodi Calippicæ 48. & ante Chriſtum natum 283. id prorsùs contigit: nam Timocharis Aſtronomus Alexandrinus hoc anno Spicam conjunctam Lunæ obſervavit ſeptimâ Thoth & ſexta deficientis Pyanepſionis ſeu vigeſima quinta, teſte Ptolemæo lib. 7. cap. 3. Hoc autem anno ſeptima Thoth eſt octava menſis Novembris: ergo decimaquarta Pyanepſionis eſt vigeſima octava menſis Octobris. Idem inter plures alios annos contigit ex tabulis aſtronomicis annò Chriſti 114. Trajano imperante, ſub quo & ſucceſſore Plutarchus ſcripſit. Cùm itaque vigeſimaoctava menſis Octobris concurreret cum primâ menſis Athyr, & cyclicè cum decima-

quar-

 346

quarta Pyanepſionis, ex Theſmophoriis Athenienſium egregiè confirmatur Iſiorum tempus: & quidem *circa Virgiliarum*, ſeu Pleiadum *ortum*, nempè veſpertinum apparentem, de quo vetus epigrammatiſta lib. 2. antholog. cap. 91.

Πληϊάδων φαινόυσαν Ἀθὺρ τεκμαίρεται ὥρην.

Pleiadum tempus apparens Athyr indicat. Quod ita canit Gyraldus lib. de annis & menſibus.

Pleiadum ſed Athyr vergentia tempora monſtrat:

Addit laudatus Plutarchus, quod *Iſis nonnumquàm Athyri nominatur* ab Ægyptiis. Haud dubiè quia Iſia erant Athyria, ſeu ſolemnia quæ ab initio Athyri fiebant: ſicut apud Athenienſes Boëdromia ab initio Boëdromionis, Gamelia Gamelionis, Anteſteria Anteſterionis, Munychia Munychionis, &c. & apud Romanos ſacrum Veneris Aprilem ipſi nuncupatum aperiebat, ſacrum Martis Martium, ſacrum Jani Januarium. Qui ritus etiam remanſerat apud quoſdam antiquæ ſuperſtitionis adhuc ſequaces in ſeptimo ſæculo: uti edocemur ex concilio Turonenſi anno 7. Chariberti regis celebrato, can. 16. ubi dicitur *nonnullos inveniri ſequi pedas erroris antiqui, qui Cal. Jan. colunt, cùm Janus homo gentilis fuerit rex quidem, ſed Deus eſſe non potuit*. Porrò ſicut Hebraicum טור *tur* quod *ordinem*, *ſeriem*, ſignificat, eſt טירה *tira*; ita Chaldaicum תור *tor* ſeu *tur*, quod denotat *bovem*, eſt תירה *tira*: & ſicut שירה *ſhira*, *i. canticum*, ponitur pro שיר *ſhir* à verbo שור *ſhur*, i. *cantavit*, ita תירה *tira* pro תיר *tir*. Hæc autem vox præmiſſo articulo eſt התיר *hathir*. Inde ergò patet ratio nominis menſis in quo bovem Jonem, ſeu Iſim colebant Ægyptii. Dici etiam poteſt quòd ſicut *Amphitruo* Plauti eſt *Amphitryo*, *lachruma* eſt *Lachryma*, poſito *y* ſive *v* pro *u*: ita התור *Athur* eſt *Athyr*. Sed hoc in idem recidit.

Fortè quiſpiam dubitabit an Romani ſolemnia Ægyptiorum in ſuo Calendario admittentes, ea diebus anni Juliani illigaverint, prout illi reſpondebant diebus anni Alexandrini, ſeu Ægyptiorum à captâ Alexandriâ fixi.

Verùm ſi Calendarium Romanorum in quo vidimus Iſia notata, ſedulò inſpiciamus, tale dubium mox evaneſcet. In eo, exempli gratiâ, *III. Non. Martii* notatur *Iſidis navigium*: ſicut in

Colo-

Colotiano Kalendario quod Gruterus exhibet pagina 182. niſi quòd dies menſis in illo reticetur. Quis autem eò non referat diem feſtum Ægyptiorum de quo loquentem Iſim ita inducit Apulejus lib. 11. Metamorph. *Diem qui dies ex iſta nocte naſcetur, æterna mihi nuncupavit religio, quo* ſedatis hybernis tempeſtatibus, *& lenitis maris procelloſis fluctibus, navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam primitias commeatùs libant mei Sacerdotes?* Hinc ſanè Joannes Fridericus Hervart cap. 57. Theolog. Ethnicæ opinatur *hanc diem fuiſſe 5. Martii ſeu III. Non. Mart.* quòd in laudato Calendario juris publici facto ab ſuo patre, *eâ die ſignetur* ISIDIS NAUIGIUM. In eodem quoque Calendario *VII. Kal. Maji* ſeu die 25. menſis Aprilis notantur *Serapia*: & in Colotiano, dum Aprilis deſcribitur, ponitur SACRUM PHARIAE. ITEM SARAPIA. Tempus illud reſpondet *Pharmuthi* Aegyptiorum, in quo haud dubiè *Sacrum Phariæ* fiebat. Phariam enim Iſim eſſe jam oſtendimus, dedimuſque rationem talis nominis. Eandem verò vocatam eſſe *Muth* teſtatur Plutarchus in lib. de Iſide, ubi & ait hanc vocem ſignificare *matrem*, quæ ſanè ſingulari numero Hebræis dicitur אם *em*, & plurali אמות *immoth*, per Aegyptiam aphæreſim מות *moth*, ſeu *muth*, & cum affixo מותי *mothi* vel *muthi*, hoc eſt, *mater mea*. Jam quis non videat ex *Pharia* & *muthi* factum eſſe *Pharmuthi*, proindeque *Sacrum Phariæ* ſpectare ad menſem quem eo nomine donarunt Aegyptii.

Dies quoque Aegyptiaci qui notantur in præfato Calendario, manifeſtum argumentum ſunt Romanos in eo non invertiſſe ordinem Calendarii Aegyptiorum. Per dies Aegyptiacos dies atros ſuperſtitionis antiquæ intelligi demonſtrat Eminentiſſimus Cardinalis noſter Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 3. cap. 3. idque Divis Ambroſio & Auguſtino prælucentibus. ,, Nulla ta-,, men (ut ibidem obſervat) eorumdem publicè ſaltem, apud ,, Romanos religio erat; ſiquidem ſæpè iiſdem diebus lu-,, di edebantur. Ita dies 21. Aprilis, quæ Natalis Urbis erat, ,, ac Circenſium miſſibus XXIV. celebrabatur, Aegyptiacus ,, ibidem dicitur. Et pridie Non. Decembris legitur: *Munus* ,, *Arcæ. Dies Ægypt.* Et die 14. ejuſdem menſis: *Ludi. Dies* ,, *Ægypt.* Item VII. Idus Februarii, pridie Nonas Julii, & XIII.

 347

Kal. Novembris. *Ludi*. *Dies Ægypt.* His itaque diebus quos atros & nefaſtos habebant, dies Aegyptiacos illigare non ſtuduerunt: ſed quo ordine, quo ſitu, eos in Aegyptiorum Calendario nacti ſunt, in ſuum tranſtulerunt.

Dicet aliquis: ſi dies Ægyptiaci, ut & ſolemnia Ægyptiorum obſignata in Calendario Romano eundem in anno ſitum habeant quem obtinebant apud Ægyptios, ſequitur quòd dies ſeptimus menſis Tybi ſecundo Januarii reſpondens erat dies ater & nefaſtus ſecundùm Ægyptios: nam *IV. Non.* Januarii notatur *Dies Ægyptiacus*. Quod quidem locum habet apud Romanos qui nefaſtum hunc diem publicâ ſuperſtitione habebant: non tamen apud Ægyptios, quippè qui *ſeptimâ menſis Tybi* quæ fixa in IV. Non. Januarii competit, *Sacrificantes hanc diem nominant Iſidis è Phœnice adventum*: teſte Plutarcho in Iſide. Quomodo enim atrum & infelicem diem cenſuiſſent Ægyptii, quem adventum nominabant propitii ſui numinis?

At non ideò ille dies nefaſtus Romanis erat, quia erat Ægyptiacus: ſed quia poſtridianus Calendis Januarii. Omnes enim poſtridianos dies atros & nefaſtos illi habebant. Nec obſtat Calendario Ægyptiaco, quod idem ille dies fauſto nomine adventus Iſidis nuncuparetur. Narrat laudatus Plutarchus ex theologia ſeu potius cacologia magorum *duos eſſe deos, quaſi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat...: melioris nomen Oromazan, pejoris nomen Arimanium... illum maximè ſimilem eſſe luci, hunc tenebris & ignorationi... Oromazen natum è luce puriſſimâ, Arimanium è caligine: eos bellum inter ſe gerere... XXIV. deos condidiſſe Oromazen & in ovo poſuiſſe. At totidem numero factos ab Arimanio ovum illud perforaſſe. Hinc mala bonis eſſe permixta. Appetere porrò fatale tempus, quò neceſſe ſit peſte & fame ab his adductâ Arimanium omninò perdi atque aboleri.* Oromaza luci ſimilis & concertans cum Arimanio, adhibitâ Hebraicâ etymologiâ eſt אורו מצה *oro-maza*, hoc eſt, *lux ejus jurgium* vel *concertatio*. Arimanius verò eſt חרים מני *barim-mani*, hoc eſt, *ſummitas Mani* ſeu *Summanus* nocturnus Deus Ethnicorum, qui & Pluto, & de quo Plinius obiter agens lib. 2. cap. 52. ait Romanos fulgura *diurna attribuere Jovi, nocturna Summano*. Et Feſtus;

E Dium,

Dium, inquit, *fulgur appellabant diurnum*, *quod putabant Jovis*, *ut nocturnum Summani*. Diem autem *ſacram ipſi Plutoni* ſeu Summano memorans Theodorus Gaza lib. de menſibus cap. 17. *Ex hujuſmodi*, inquit, *appellatione neſcio quid grave*, *ſuperciliosum*, *&* *tragicum præ ſe fert*: *quæ res apprimè opus eſt iis*, *qui tractandis ſacris vehementiùs occupantur*: per hæc ſignificans diem quem vana ſuperſtitio atrum cenſebat, ipſi Plutoni ſeu Summano fuiſſe ſacrum. Unde quia viginti quatuor Deos atros à nocturno Summano oppoſitos dicebant XXIV. lucidis quos ab Oromazâ conditos fabulabantur: XXIV. dies atros ſeu Ægyptiacos poſuerunt in ſuis Calendariis. Totidem enim annotantur in Calendario jam laudato. Quia ergo unus Deus ater certare putabatur cum uno Deo lucido, dies Ægyptiacus Deo atro ſimul & lucido, ſeu Deo fauſto ſimul & infauſto, nuncupatus cenſebatur. Quod patet in ſeptima die menſis Tybi in exemplum adductâ. Eâ enim (ut teſtis eſt laudatus Plutarchus) Ægyptii *Sacrificantes*, *quam diem nominant Iſidis è Phœnice adventum*, *placentis adſingunt vinctum Hippopotamum* hieroglyphicum infauſti Typhonis: tum eodem teſte, cum Euſebio lib. 3. præp. cap. 12. ubi *Typhonem hippopotamo aſſimilatum* refert: Hic itaque dies non tam propitio quàm infauſto genio addictus unus erat ex XXIV. quos fauſtis & infauſtis diis XXIV. concertantibus ſuperſtitiosè affingebant: proindèque erat dies Aegyptiacus. Nec ullum dubium eſſe poteſt, quin eo ſitu ac ordine quo notabantur in Aegyptiorum Calendario quæ exinde hauſerunt Romani, in ſuum tranſtulerint. Unde cùm Iſia competerent in V. Kal. Novembris cui reſpondet neomenia Athyr, hæc dubio procul ab Athyr initio celebrabantur ab Aegyptiis.

Jam facili calculo determinabitur Gemini ætas, quæve negotia hæc faceſſerat Emendatori temporum & Doctori, quàm citiùs evaneſcent. Ipſum Geminum audiamus in ſuis elementis aſtronomicis cap. 6. *Erratùm illud quod apud Græcos circumfertur*, *cùm propter temporis longitudinem approbatione dignum ſit habitum*, *etiam ad noſtra uſque tempora pro verò creditum fuit*. *Putant enim plurimi Graecorum in Iſia ſecundùm Ægyptios*, *&* *ſecundùm Eudoxum hybernas converſiones incidere*. *quod falſum eſt omninò*. *Menſe*

enim

enim toto Iſia diſtant ab hybernis converſionibus. Fluxit autem erratum illud ex causâ prædictâ. Nam ante 120. annos contigit, ut Iſia in ipſis hybernis converſionibus agerentur: in annis autem quatuor unius diei fiebat variatio. Hoc igitur non habuit ſenſibilem varietatem ad anni tempeſtates. In annis autem 40. facta eſt decem dierum variatio. Nec ſic quidem evenit ſenſibilem fieri mutationem. At nunc cùm in annis 120. fiat menſtrua varietas, exceſſum ignorantiæ non relinquunt illi, qui putant in Iſiis ſecundùm Ægyptios & ſecundùm Eudoxum hybernas fieri converſiones. Uno enim die aut duobus diſſentire aliquos hâc de re poſſibile eſt. At menſtruam varietatem latere impoſſibile eſt.

Hybernæ converſiones ſeu ſolſtitium hyemale ſecundùm Aegyptios ſimul & Eudoxum illud eſt quod Soſigenes Alexandrinus ad anni Romani correctionem adhibitus à Julio Cæſare in VIII. Kal. Januarias, ſeu 25. diem menſis Decembris, conjecit, duorum dierum προήγησιν minimè curans. Siquidem Julii Cæſaris ævo verum ſolſtitium brumale competebat in 23. diem menſis Decembris, & Eudoxi tempore in 25. prout computatur ex tabulis Aſtronomicis directis ad annum primum Julianum aliosque hujus ævi, & ad Olympiadem CIII. quâ Eudoxus erat in Ægypto, teſte Laërtio in ejus vitâ. Unde quia dies 25. Decembris in Juliana emendatione cenſebatur octava pars Capricorni, 25. Martii pro æquinoctio verno ſtatuta octava pars Arietis, &c. *Solſtitia & æquinoctia octavis partibus ſignorum confici* ſtatuens Columella lib. 9. cap. 14. ſe ait ſequi *Eudoxi & Metonis antiquorumque faſtos Aſtrologorum, qui ſunt aptati publicis Sacrificiis, quia notior eſt iſta vetus agricolis concepta opinio*. Quod ſi Sölſtitium æſtivale Soſigenianum ſeu Julianum vigeſimo ſexto Junii illigaretur ob affixam brumam vigeſimoquinto menſis Decembris: in hoc etiam Metonem ſequebantur, ac proinde Eudoxum quem ipſi adjungit Columella, conſtat enim ex Ptolomæo lib. 3. Almageſti cap. 2. quòd Meton & Euctemon Solſtitium æſtivum obſervarunt anno Nabonaſſaris 316. die 21. phamenoth, manè, Abſeunde magiſtratum gerente Athenis, hoc eſt, anno ante Chriſti epocham 432. Dies autem Aegyptiorum aſtronomicè computabantur à meridie. Unde Manilius apud Plinium lib. 18. cap. 2. de

E 2 uno

uno ex magnis aſtronomiæ Aegyptiacæ annis agens quem teſſeraria Phœnicis vitæ definiebat, ait eum *circa meridiem incipere*, *quo die ſignum Arietis Sol intraverit*. Itaque vigeſima prima dies Phamenoth quæ memorato anno incidit in 27. Junii incœptam à media nocte, competit in 26. à meridie: adeo ut vigeſima ſexta Junii conformata vigeſimæ primæ Phamenoth ſit Solſtitii Metonici dies. Sanè correctum hujus Solſtitii tempus ex Riccioli tabulis quæ dies à Meridie computant, eſt vigeſima ſexta Junii, hor. 21. 1. Bononiæ: Athenis verò hor. 22. 15. Et Alexandriæ Aegypti eâdem ejuſdem diei horâ, min. 49.

Porrò anno ante Chriſtum natum 257. Nabonaſſaris 492, Iſia inciderunt in Brumam Eudoxeam: quia Neomenia Thoth hoc anno incurrit in diem 26. menſis Octobris, & neomenia Athyr ſeu Iſiorum tempus in 25. menſis Decembris. Annis igitur centum viginti abhinc elapſis ſcribebat Geminus, nempè anno ante Chriſti epocham centeſimo trigeſimo ſeptimo, Nabonaſſaris 612. quo neomenia Thoth incidit in diem 26. menſis Septembris, & Iſia competebant in 25. menſis Novembris, proindeque menſe integro à bruma Eudoxeâ aberant. Ita ſcripſit Geminus anno decimo Ptolemæi Evergetis Secundi, biennio antequàm Hipparchus annum Tropicum conſtituerit, obſervationem de Solſtitio ab Ariſtarcho factam cum eâ conferens quam ipſe fecit annis poſt illum 145. Unde non ampliùs mirandum cum Petavio *Hipparcheæ caſtigationis nullam à Gemino mentionem fieri*, ipſumque Geminum deſinere in periodum Calippi ac aſſerere quòd δοκεῖ μάλιστα πάντων αὐτὴ περίοδος τοῖς φαινομένοις συμφωνεῖν, *videtur hæc periodus maximè omnium cum apparentiis congruere*. Enimverò Calippicum modum juſtò longiorem eſſe definivit Hipparchus. Unicum quoque Zodiacum aſtruens Geminus ſe ſcripſiſſe innuit, priuſquam Hipparchus collatis inter ſe veterum ac ſuis obſervationibus duplicem eſſe animadverteret: nec aliam ob cauſam Eudoxum, Calippum alioſve Hipparcho antiquiores potiùs quàm Hipparchum idem haud dubiè ſecutus eſt, ne ipſum quidem nominans; niſi quia Hipparcheæ caſtigationes poſteriores fuerunt ejus ſcriptis. Ipſi enim certè cognitu facilis erat Hipparchus; cùm uterque Rhodius fuerit. Quin etiam Hipparchum

Rho-

Rhodium obſcuri nominis adhuc fuiſſe ex hoc colligitur, quòd idem Geminus unum Hipparchum memoret, eum Bythinum à Rhodio non internoſcens.

Quòd ſi poſterioribus annis exinde competere non poſſit ſcribentis Gemini ætas, vix quoque competet anterioribus, etiam ommiſsâ ratione temporis Iſiorum. Si quidem *Crates Grammaticus errorem Ulyſſis* ſeu Odyſſeam *diſponens, & totam Sphæram terræ deſcribens certis circulis*, memoratur à Gemino cap. 5. De hoc autem Crate agens Suidas ait, quòd *Crates Timocratis filius Mallotes philoſophus Stoicus, cognomento Homericus & criticus, ob grammaticarum & poeticarum rerum ſtudium : æqualis Ariſtarchi Grammatici, ſub Ptolomeo Philometore compoſuit correctionem Iliadis & Odyſſeæ lib. 9. & alia*. Item in Ariſtarcho : *Ariſtarchus*, inquit, *natione Samothrax, Alexandrinâ civitate donatus, Ariſtarchi filius, vixit CLVI. Olimpiade, ſub Ptolemæo Philometore, cujus etiam filium erudiit ... cum Crate Pergameno grammatico plurimas contentiones habuit*. Porrò Ptolemæus Philometor fuit deceſſor immediatus Evergetis ſecundi. Ergo Crate Grammatico poſterior Geminus ante Evergetem ſecundum perperam collocaretur. Quin & *Polybius hiſtoricus* cujus librum *de habitatione circa æquinoctialem* Geminus celebrat, *Scipionem Æmiliano res in Africa gerente, ab eo acceptâ claſſe, ſcrutandi illius orbis gratiâ circumvectus* dicitur à Plinio lib. 5. cap. 1. Annus erat Urbis conditæ Varronianus 607. ante Chriſti Epocham 147. Ptolemæi Philometoris ultimus, quo Scipioni conſuli data eſt Africa. Ad hæc Ptolemæo Evergete ſecundo ſeu *Evergete Phyſcone regnante Polybius Alexandriam venit*, teſte Strabone lib. 17. pag. 548.

Præterea Cratem Grammaticum impugnans Geminus cap. 13. quòd *fingeret inter Tropicos Oceanum eſſe poſitum, dicens congruenter Mathematicis totius ſe terræ diſpoſitionem inſtituere*, à ſuis temporibus ſic in eum inſurgit: *Nam noſtris temporibus jam & perſpecta & inventa ſunt plurima loca habitabilia, & non mari ubique comprehenſa : & cùm illius intermedii intervalli, quod eſt ab æſtivo tropico uſque ad æquinoctialem, ſpatium ſit ſtadiorum 16800. ferè ad 8800 ſtadia, quatenùs inveſtigandi copia fuit, horum rerum hiſtoria conſcripta eſt, cùm ea per reges Alexandrinos ſit explorata : Unde*

falſi

falſi ſunt qui opinantur Oceanum fuſum eſſe inter tropicos. Jam auctor eſt Poſſidonius apud Strabonem lib. 2. *Eudoxum quendam Cyzicenum qui Corinthii certaminis causâ ſpectandi, & libationis ferendæ miſſus eſſet, in Ægyptum veniſſe, quo tempore Evergetes ſecundus regnum tenuit: eumque cum rege & ejus familiaribus ſermones contuliſſe, maximè de ſursùm navigando Nilo: ut potè hominem & admiratione eorum quæ ſingulis locis propria ſunt præditum, neque ineruditum*. Tum juſſu regis *hunc ad Indos cum donis navigaſſe, & eorum loco reportaſſe aromata ac lapides pretioſos... Cæterùm Eudoxum ſuâ fuiſſe ſpe falsū, Evergete adimente quidquid navi advexerat.* Hanc quidem narrationem Poſſidonii ut fabuloſam omninò rejicit Strabo. Verùm licet multa quæ præterii, fabulam in hac redoleant: non ideò tamen hæc prorsùs eſt rejicienda. At inquit Strabo: *Unde Evergeti iſta* hujuſmodi *ductorum* ſeu nautarum *penuria, mari iſto multis jam noto*? Haud dubiè ignorabat Cratem Grammaticum magni ſub Philometore nominis docuiſſe Oceanum eſſe poſitum inter tropicos, ac proinde anſam præbuiſſe adnavigandi & Nilum & mare Indicum, Aethiopicumque. Sanè inſulas Athiopici maris deſcribens Plinius lib. 6. cap. 31. plures ex Eudoxo eſſe tradit. Tempora itaque Gemini quibus perſpecta & inventa ſunt plurima loca habitabilia & non mari ubique comprehenſa, ſunt tempora Evergetis ſecundi, & quidem prima ejus regni. Nam Eudoxus è Corinthio certamine miſſus in Aegyptum venerat ad Evergetem. Id autem neceſſariò competit in annum primum Evergetis, quo Carthago everſa eſt, *Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaïco Coſſ.* Si quidem *eodem anno quo Carthago concidit L. Mummius Corinthum, poſt annos 952. quàm ab Alete Hippotis filio erat condita, funditùs eruit*. teſte Velleio Paterculo lib. 1. quod etiam declarat Oroſius lib. 5. cap. 3. dicens: *Eodem anno quo Carthago deleta eſt, Cn. Cornelio Lentulo & L. Mummio Coſſ. ruinam Carthaginis everſio Corinthi ſubſecuta eſt, duarum potentiſſimarum urbium parvo unius temporis intervallo, per diverſas mundi partes miſerabile colluxit incendium.*

Anteà quidem navigationem in Æthyopico mari inſtituerat *Timoſthenes claſſium Philadelphi præfectus*: auctore Plinio libro 6. cap. 29. apud quem etiam teſtes inſularum Aethiopici maris afferun-

 350

feruntur *& Eudoxus & Timoſtenes*, cap. 31. Quin & Gerardus Voſſius lib. 1. de Hiſtoricis Græcis cap. 1. docet Eratoſtenem in opere geographico *Timoſtenis de portubus librum exſcripſiſſe*. Ideò ergò non per unum regem Alexandrinum. ſed *per reges Alexandrinos hæc explorata* retulit Geminus, per Philadelphum ſcilicet & Evergetem ſecundum, illum ante Cratem Grammaticum, iſtum poſt ſuiſve temporibus. Quòd ſi alias per Eudoxum navigationes factas narret Poſſidonius, eam potiſſimùm quæ ſub Lathyro Evergetis ſecundi ſucceſſore contigit, & cujus meminit Cornelius Nepos apud Plinium lib. 2. cap. 67. & apud Pomponium Melam lib. 3. cap. 10. hæ ſcribente Gemino poſteriores ſunt. His enim tradentibus *Nepos Cornelius auctor eſt, Eudoxum quendam ſuâ ætate, cùm Lathyrum regem fugeret, Arabico ſinu egreſſum, Gades uſque pervectum*: proindeque Zonæ auſtralis terras hâc parte circuiviſſe, quod ſcribente Gemino recentius eſt. Quippè qui cap. 13. ſcribit: *Cùm de auſtrali Zonâ dicimus, & de iis, qui in ea habitant, ad hæc de antipodibus qui in eâdem ſunt; convenit ea quæ dicuntur ſic intelligere, ut nos de auſtrali quidem Zonâ nullam hiſtoriam acceperimus, neque an ulli in ea habitent; ſed quòd ratione totius Sphæræ, & figuræ terræ, & progreſſus Solis, qui fit inter tropicos, ſit aliqua etiam altera Zona, ſeu plaga verſus auſtrum ſita, quæ habeat idem temperamentum cum boreâ Zonâ in quâ nos habitamus*. Quemadmodùm ergo poſt Philometorem ſic ante Lathyrum ſcripſit Geminus, tempore ſcilicet Ptolemæi Evergetis ſecundi qui inter Philometorem & Lathyrum regnavit.

Finem impono huic appendici contra Petavium obſervans; quòd ſi Iſia acta fuiſſent die XVII. menſis Athyr, incidiſſent in brumam Eudoxeam Olympiade 146. deſinente, ſive anno ante Chriſtum natum 193. quo neomenia Thoth in decimum octobris, & decima ſeptima dies Athyr in 25. menſis Decembris incurrit. Jam mortuus erat Eratoſthenes, quandoquidem *natus eſt CXXVI. Olympiade: obiit anno ætatis LXXX. ex inedia propter aciem oculorum hebetatam*: ut Suidas in eo tradit. Cùm tamen Iſia incidiſſe in hybernas converſiones teſtem Eratoſthenem proferat Geminus. *Iſia*, inquit, *priùs quidem fiebant in hybernis converſionibus, & adhuc priùs in æſtivis converſionibus: ſicut & Eratoſthenes in*

com-

commentario de Octaeteride meminit: & agentur iterùm in autumno & in æſtivis converſionibus, & in vere, & in hybernis converſionibus. In annis enim 1460. omne feſtum tranſire oportet per omnes anni quadrantes & rurſus reſtitui ad idem tempus anni.

Lucianus quidem in Macrobiis biennio prorogat Eratoſthenis ætatem, octogiuta duorum annorum eam definiens. At cum incertum ſit, quò Olympiadis CXXVI. anno exortus ſit Eratoſthenes, tuto exinde dici non poſſet Olympiadem CXLVI. ipſo vivente deſiiſſe. Quin & noviſſimis ætatis ſuæ annis ſcribendis libris aptus ille non fuit: unde non tam ſenio confectus quàm inediâ, hebetatâ oculorum acie, ſupremum diem clauſit: eique dubio procul jam *in Alexandrina bibliotheca curatione* ſucceſſerat Apollonius Rhodius, qui unà cum eo, regnante poſt Philadelphum Ptolemæo Evergete, floruerat. Ut teſtatum reliquit Suidas.

D I A G R A M M A

Anni quo ſcripſit Geminus.

Menſes cœleſtes juxta Geminum:	Dierum.	Ineunt in anno Juliano proleptico.		Ægyptiorum vago.	
Καρκίνος	XXXI.	Junii	XXVII.	Payni	V.
Λέων	XXXI.	Julii	XXVIII.	Epiphi	VI.
Παρθένος	XXX.	Auguſti	XXVIII.	Meſori	VII.
Ζυγὸς	XXX.	Septembris	XXVII.	Thoth	II.
Σκορπίος	XXX.	Octobris	XXVII.	Paophi	II.
Τοξότης	XXIX.	Novembris	XXVI.	Athyr	II.
Αἰγόκερος	XXIX.	Decembris	XXV.	Choiac	I.
Ὑδροχόος	XXX.	Januarii	XXIII.	Choiac	XXX.
Ἰχθύες	XXX.	Februarii	XXII.	Tybi	XXX.
Κριὸς	XXXI.	Martii	XXIV.	Mechir	XXX.
Ταῦρος	XXXII.	Aprilis	XXIV.	Pharmuthi	I.
Δίδυμοι	XXXII.	Maii	XXVI.	Pachon	III.

APPEN-

APPENDIX ALTERA

DE TEMPORE SERAPIORUM AC PASSIONIS S. MARCI EVANGELISTÆ.

Et utrum Aegyptii Orientales Annum vagum in uſu habuerint uſque ad Diocletianum.

SICUT ex tempore Iſiorum, quod in ſuperiori appendice illuſtravimus, ætas innotuit ſcribentis aſtronomica elementa Gemini; ita ex tempore Serapiorum annus intelligetur; quo Marcus Evangeliſta Alexandriæ Ægypti martyrium ſubiit: diverſo tamen charactere: quandoquidem Alexandrinam Eccleſiam adminiſtrante Marco, fixus erat Ægyptiorum annus ſaltem Occidentalium, quos inter erant Alexandrini; vagus è contra florente Gemino. Vagum ajo non fuiſſe annum in Aegyptiorum ſaltem Occidentalium uſu Marci temporibus. Nam de Orientalibus Aegyptiis uſque ad Diocletiani tempora longè aliter ſentiendum inferiùs demonſtrabitur. Nil ſanè de hoc anni vagi populari uſu vix à quoquam obſervato, nil etiam de Marco Evangeliſtâ, tum cogitaveram, cùm ſuperiorem diſſertationem typis edendam dediſſem unà cum appendice de tempore Iſiorum, deque ætate Gemini. At cùm Acta Sanctorum per Bollandum & continuatores ad Junium uſque juris publici facta ſubinde evolverem, egregiam in iis nactus confirmationem eorum quæ nonniſi ἀκολούθως de Serapiorum tempore jam obſervaveram, reticendam eam non cenſui: tum propter annum

quo ſupremum diem obiit, appellatus Evangeliſta, adeò diverſè obſignatum apud Scriptores Eccleſiaſticos, ut quibus adhibenda ſit fides, vix intelligas: tum propter anni vagi popularem apud Ægyptios Orientales uſum, quem arreptâ exinde occaſione animadverti.

Supervacaneum foret ea retexere, quæ ſemel tetigimus circa tempus Serapiorum, ea octavo anni Aegyptiorum menſi, ipſis *Pharmuthi*, Arabibus *Barmuda*, nuncupato addicentes. Priuſquàm tamen prænotatum hoc in menſe diem confirmemus ex actis S. Marci, prætermittendum non eſt Jeroboanum regem Iſraël vitulos aureos inſtar Aegyptiorum colentium Serapidem, ſeu bovem Apim, decem tribubus ſuis erexiſſe. D. Ambroſius in cap. 1. epiſt. ad Romanos de idololatria Aegyptiorum obiter agens, *colebant*, inquit, *quadrupedem quam dicebant Apim, in ſimilitudinem vaccæ: quod malum imitatus eſt Hieroboam, vaccas inſtituens in Samaria quibus ſacrificarent Judæi*. Item D. Hieronymus in cap. VI. Oſee prophetæ: *Videtur*, inquit, *mihi idcirco & populus Iſraël in ſolitudine feciſſe ſibi caput vituli quod coleret, & Jeroboam filius Nabath vitulos aureos fabricatus: ut quod in Ægypto didicerant*, Α῎πιν καὶ Μνεῦιν, *qui ſub figura boum coluntur, eſſe Deos, hoc in ſua ſuperſtitione ſervarent*. Et in cap. VIII. *Sed vos ipſi & rex veſter Jeroboã, quod in Ægypto didiceratis, feciſtis in Iſrael . . . . Ideo autem & veterum iniquitatum recordabitur & peccata priſtina viſitabit: quia in Ægypto ſunt univerſi, vel auxilia poſtulantes, vel eoſdem colentes Deos, in quibus priùs erraverunt*, Α῎πιν & Μνεῦιν. Id procul dubio edoctus fuit Jeroboam, cùm extremis Salomonis temporibus aufugit *in Ægyptum ad Seſac regem Ægypti*. III. Reg. XI. 40. Unde ſicut Hebræi in deſerto *averſi cordibus ſuis in Ægyptum*, ut Stephanus loquitur Act. VII. 39. *fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt: Iſti ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Exod. XXXII. 8. Ita Jeroboam rex conſtitutus ſuper decem tribus Iſraël, *excogitato conſilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: . . . Ecce dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. III. Reg. XII. 28. Utriuſque autem vituli *diem ſolemnem in menſe octavo* impius ille rex inſtituit, ibid. 32. Nam & menſe octavo Serapia celebrabant Aegyptii:

 352

ptii : & menſis eorum octavus Jeroboami tempore concurrebat cum octavo menſe Hebræorum; uti demonſtrabo in characteribus chronologicis.

Quod Serapiorum diem ſpectat, obſervandum eſt cum Alexandro ab Alexandro lib.4.genialium dierum cap.20.*Ægyptios diem à Solis occaſu facere, & ad alterum occidentem terminare*. Id clarè nos edocet Servius in 5. Æneid. dicens quòd *Dies ſecundùm Ægyptios inchoat ab occaſu Solis*. Non aſtronomica ſed ſacra potiſſimùm erat ejuſmodi diei ratio, more Hebræorum, quibus per Moſen indixit Dominus: *A veſperâ uſque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra*, Levit. XXIII. 32. Hinc Apulejus libro 11. metamorph. ſacra in Ægypto ſe facturum fingens, *Jam*, inquit, *dies aderat divino deſtinatus vadimonio: & Sol curvatus intrahebat veſperam. Tunc ecce confluunt undique turbæ, ſacrorum ritu vetuſto, variis quiſque me muneribus honorantes. Tunc ſemotis procul profanis omnibus, linteo & rudi me contectum amicimine, arreptâ manu, ſacerdos deducit ad ipſius Sacrarii penetralia*. Itaque Dies feſtus Serapiorum incipiebat à veſpera non tam luci proximè futuræ conſecrandus quàm nocti. Unde laudatus Apulejus ſe *de Serapis principalis Dei nocturnis orgiis illuſtratum* prodit.

Jam conſtat ex actis antiquiſſimis S. Marci Evangeliſtæ quæ ex XII. MSS. ſeu latinis ſeu Græcis exhibent Bollandi continuatores ad diem 25. menſis Aprilis, eum ab Ægyptiis comprehenſum *cùm veſpera facta eſſet*, miſſum fuiſſe in carcerem, *vigeſimo* nono *die menſis Parmuthi, quod eſt VIII. Kalendas Maii: quo tempore eorum Serapiaca agebatur celebritas*. Cumque *mane facto* ſubſequentis diei, nempè Pharmuthi menſis *die triceſimo, quod eſt apud Romanos VII. Kalendas Maii*, Sanctum martyrio affeciſſent, ac validâ mox tempeſtate præpediti ſacrum ejus corpus non potuiſſent comburere; *tunc metuentes cuſtodes dimiſerunt Sanctum corpus & fugerunt: alii verò deridentes dixerunt, quòd beatiſſimus Serapis noſter in ſuâ hodie feſtivitate hunc virùm voluit inviſere*. Pridianus dies paſſionis S. Marci viceſimus menſis Pharmuthi ponitur in ejus actis: ſed legendum *viceſimo nono die* rectè obſervat Joannes Seldenus in Eutychii Origines pag. 167. cùm proximè ſequens ſit dies triceſimus hujus menſis, eòque Pharmuthi ſeu

Barmudæ menſis die *Feſtum S. Marci* Coptitæ celebrent : ut ex eorum Calendario patet ab eodem Seldeno edito : &, ut alios omittam, ex Georgio Elmacino quem Thomas Erpenius latinum fecit. Hic namque lib. 1. Saracenicæ Hiſt. capite 12, ait, quod *anno* Hegiræ 81. *factus eſt Patriarcha Alexandrinus Jacobitarum quidam nomine Alexander, die feſto Marci Evangeliſtæ, qui trigeſimus erat Barmudæ*. Ubi notandum ex eodem auctore Patriarcham Alexandrinum Ishacum nomine quem anno Hegiræ 66. Chriſtiani Jacobitæ conſtituerunt, *inſtituiſſe ne Patriarcha proponeretur* ſeu conſecraretur *niſi die Solis*, hoc eſt, die dominico, more in Eccleſia latina jam pridem receptiſſimo, de quo præ cæteris videndus Em. Cardinalis Noriſius lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 24. Annus autem Hegiræ 81. incidit in annum Chriſti ſeptingenteſimũ, Cyclum Solis IX. ex die 56. à Calendis Januarii, bis ſexto Calendas Martias, literâ Dominicali D mutante in C : adeò ut trigeſimus Barmudæ, ſeu vigeſimus quintus Aprilis, hoc anno competat in diem Solis, ſeu diem Dominicum. Unde corrigendus eſt Elmacinus, dum annum illum Hegiræ 81. copulat cum *anno Diocletiani* 420. Epocha enim Diocletiani ſeu Coptitarum à SS. Martyribus affigitur anno Chriſti 284. à die 29. Auguſti ; uti docent chronologi, nominatim nunquam ſatis laudandus appellatus Cardinalis Diſſert. de numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 1. Alterâ Diſſert. de votis decennalibus cap. ultimo, lib. de Epochis Syro-Macedonum Diſſert. 3. cap. 6. item Diſſert. de Paſchali latinorum cyclo ann. LXXXIV. pag. 23. & 24. ac demùm Diſſert. de cyclo Paſchali Ravennate cap. 5. Quocirca annus Hegiræ 81. concurrit cum anno Diocletiani 416. uſque ad 28. diem Auguſti incluſivè. Sanè feſtum S. Marci Evangeliſtæ, ſeu Barmudæ dies trigeſimus, anno Diocletiani 320. non erat dies Dominicus, ſed feria ſexta ; cùm incidat in cyclum Solis XIII. literam Dominicalem E ex bis ſexto Calen. Martii. Dies itaque trigeſimus Pharmuthi fuit dies paſſionis Evangeliſtæ Marci, quemadmodùm ſolemnitatis Serapiorum à præcedente veſperâ jam incœptæ.

Id ſpeciali characteriſmo nobis confirmant Acta jam laudata, & egregium inde argumentum nobis ſuppeditant pro anno mortis

S. Mar-

S. Marci. *Factum eſt*, inquiunt, *ut beatiſſima feſtivitas noſtra Paſchalis, id eſt, Dominicus dies ſanctus occurreret viceſimo* nono *die menſis Parmuthi, quod eſt VIII. Kalendas Maii* . . . . . *Dormivit autem beatiſſimus Evangeliſta primus Domini noſtri Jeſu Chriſti martyr apud Alexandriam Ægypti, die triceſimo, quòd eſt apud Romanos VII. Kalendas Maii: anno Neronis imperii quarto decimo.* Anno Chriſti 68. *Trachala & Italico* Conſulibus ſeipſum Nero interemit, cùm menſes ſeptem ac dies viginti octo ſupra tredecim annos imperaſſet à die 13. menſis Octobris anni Chriſti 54. ad decimam diem menſis Junii anni 68. ut ex Dione conſtat illuſtrato ex Plinio Juniore lib. 3. epiſt. 7. Hinc vigeſimus nonus dies Pharmuthi, ſeu vigeſimus quartus dies Aprilis, anno Chriſti 68. deducto à Calendis Januarii competebat in annum Neronis decimumquartum. Cyclus erat Solis XXI. litera Dominicalis B poſt 24. Februarii. Hoc igitur anno vigeſimus nonus Pharmuthi, paſſionis S. Marci & Serapiorum pridianus, erat dies Dominicus notatus in actis jam appellatis.

An eo die Paſcha celebraverit Eccleſia Alexandrina, poteſt quis dubitare: tum quia Dominica Paſchalis ſecundùm Alexandrinos quandoque extendebatur nedum uſque ad VIII. Kalendas Majas, ipſis vigeſimum nonum diem Pharmuthi, verum etiam ad trigeſimum ſive VII. Kalendas memoratas; prout ex Ambroſio, & epiſcopis Alexandrinis Theophilo, Cyrillo, ac Proterio, fuſè demonſtrat Ægidius Bucherius in Victorii canonem paſchalem cap. 3. tum etiam quia Marci Eeangeliſtæ actis præeuntibus id Beda nos edocet in genuino martyrologio, item Simeon metaphraſtes & cum eo Surius factum referens: ut eo tempore *beatus, & feſtus dies noſter, hoc eſt, Paſcha, die Dominico celebraretur, octavo Calendas Maii, hoc eſt, vigeſimo quarto menſis Aprilis, qui ab Ægyptiis Pharmutius vocatur.* Verùm non ita loquuntur acta: ſed factum ajunt, *ut beatiſſima feſtivitas noſtra Paſchalis, id eſt Dominicus dies ſanctus occurreret, &c.* quod ſanè de omni die Dominico intelligi poteſt. Id inter alios jam pridem docuit Cardinalis Humbertus legatus Leonis IX. ad Conſtantinopolitanum imperatorem lib. contra Nicetam Pectoratum, primò ex Silveſtro Papa I. tum ex Innocentio item I. his verbis deſumptis ex ejus

epi-

epiſtolâ 1. *Diem Dominicum ob venerationem reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti non ſolùm in Paſcha celebramus, verum etiam per ſingulos hebdomadarum ipſius diei imaginem frequentamus*. Hinc Gunthramnum regem reperiès in ejus vita ſanctionem feciſſe de obſervandis *omnibus diebus dominicis in quibus ſanctæ reſurrectionis myſterium veneramur*. Itaq; *feſtivitas Paſchalis, id eſt dominicus dies ſanctus* occurrens pridie paſſionis S. Marci de quocumque die Dominico accipi poteſt.

Occaſione diei Dominici de cujus obſervantia habetur ſanctio in capitulari Thodulphi Aurelianenſis epiſcopi cap. 24. notandum obiter eſt Labbeum & Coſſartium quibus Eccleſiaſticarum literarum ſtudioſos multùm debere non inficior, tomo ſeptimo Conciliorum à pag. 1136. illud capitulare inſeruiſſe cum duabus Sirmondi annotatiunculis, ſub hoc titulo: *Capitulare Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis ad Parochiæ ſuæ Sacerdotes*: nihilo tamen ſeciùs idipſum edidiſſe quaſi diverſum tom. 9. à pag. 1008. hocce titulo: *capitula incerti auctoris, loci, & temporis ad Eccleſiæ regimen congeſta*. An quia capitulum primum à præfatione non ſecernitur in primo, & ex capitulis XLV. ac XLVI. unicum in ſecundo fit? Eadem enim utrobique remanent ſtatuta iiſdem concepta verbis & phraſibus, eadem ſeries capitulorum: hoc tantùm diſcrimine; ut in poſteriori capitula V. & XI. brevi trium linearum vel gloſſemate augeantur, vel amanuenſium incuriâ careant in priori, in quo & capitulum XIX. paucis auctius verbis eſt, quibus gymnaſia quatuor diœceſis Aurelianenſis exprimuntur, ideo forſan in altero prætermiſſis, ut Theodulfianum capitulare citra Aurelianenſem Eccleſiam locum haberet. Sed hæc incerti auctoris, loci & temporis capitula non evincuut. Alioquin pari incertitudine donanda eſſent omnia ferè veterum ſcriptorum monumenta collata cum manuſcriptis codicibus. Similem lapſum in eadem conciliorum editione centimanis collectoribus facilem obſervat pluries appellatus Em. Card. Noriſius lib. de epochis Syro-Macedonnm Diſſert. 4. cap. 1. jure merito mirans Labbeum non obſervaſſe omnes illos Epiſcopos, quorum ſubſcriptione Nicæno cōcilio affingit ex charta Niliaca apud Joannem Sambucum, trecenteſimo ac quinquageſimo quinto anno poſt Nicænam Sy-

nodum

354

nodum vixiſſe, ac interfuiſſe Synodo VI. Oecumenicæ anno Chriſti 680. apud Conſtantinopolim ſub S. Agathone Papa celebratæ. Nam tom. 6. Conciliorum pag. 1060. editionis ipſiuſmet Labbei, leguntur omnia ea Epiſcoporum nomina, quæ in illa Niliaca charta memorari dicuntur. Exercitatiſſimi in Eccleſiaſticis & exoticis monumentis huic obſervationi anſam præbuit Ciliciæ in primam & ſecundam ab ipſo obſervata diviſio tempore Innocentii I. qui partim Arcadio partim Theodoſio juniore imperantibus pontificatum geſſit. Ubi, velim, obſerves, quod ὁ μεγαλόνοος & μεγαλώνυμος idem me nuper edocuit ex Joanne Melelâ recens edito, Theodoſium juniorem auctorem eſſe diviſionis in primam & ſecundam Ciliciam, iſtius metropoli Anazarbo conſtituta. Eò interim revertamur, unde digreſſi ſumus.

Quòd Alexandrina Eccleſia citimam Dominicam Paſchalem in trigeſimum diem Pharmuthi conjecerit, Theophilum Patriarcham præcipuum habet auctorem. Antea enim ſub Anatolio qui ſuum canonem Paſchalem ab anno Chriſti 276. Si Bucherio credamus, exorſus eſt, Paſcha non celebrabat *poſt vigeſimam primam Lunam, & XI. Kalendas Maii*, ſeu vigeſimum ſextum diem Pharmuthi; ut in Anatoliano canone videre eſt. Imo ſi prima ejuſdem Eccleſiæ tempora inſpiciamus, eam à Judæis minimè diſcrepaſſe reperiemus. De Marco agens D. Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ait quòd *Philo, diſertiſſimus Judæorum, videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc Judaizantem, quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eorum converſatione ſcripſit.* Et Euthychius Patriarcha Alexandrinus in inſigni fragmento, quod unà cum interpretatione Latinâ Arabicè refert Joannes Seldenus Differt. de anno civili veterum Judæorum cap. 21. tradit *ſcripſiſſe Demetrium Patriarcham Alexandrinum ad Agapium Epiſcopum Hieroſolymitanum, & Maximum Patriarcham Antiochenum, & Victorem Patriarcham Romanum, de Materia Paſchali Chriſtianorum & eorum jejunio, & quomodo diſcriminandum eſſet à Paſchate Judæorum . . . . Scilicet cùm Judæi ſuum celebrabant Paſcha, tunc item ſuum pariter Chriſtiani.* Adhæc Philippus cujus epiſtolam de Paſcha edidit Bucherius inter epiſtolas patrum antiquorum de feſti Paſchalis ratione, teſtatur quod *poſt reſurrectionem*

vel

vel Aſcenſionem Domini Salvatoris Apoſtoli quomodo Paſcha deberent obſervare, nihil ordinare potuerunt; quia diſperſi per univerſum mundum ad prædicandum fuerunt occupati. Sed quacunque die decimaquarta Luna menſe Martio fuiſſet, ſeu quæ menſis Martii cenſeretur, *Paſcha celebrabant*. Porrò quartasdecimas Judæorum hujus ævi ab die Martii XVIII. ad Aprilis XVI. incluſivè diffuſas, hoc eſt à die XXII. menſis Phamenoth ad XXI. menſis Pharmuthi, invictiſſimis argumentis demonſtrat laudatus Bucherius in tractatu de Paſchali Judæorum cyclo cap. 3. Ergo vigeſimus nonus dies Pharmuthi extra tempus celebrationis Paſchatis erat primis Alexandrinæ Eccleſiæ temporibus. Hinc nullum argumentum contra noſtram de Marco ſententiam elici poteſt ex tabulis aſtronomicis ad annum Chriſti 68. directis: quòd vigeſimus nonus dies Pharmuthi in lunam quintam ſupra menſem novorum computatam hoc anno incidat ſecundùm medios motus. Prout etiam conficitur ex Victorii canone Paſchali à Bucherio edito & commentariis illuſtrato.

Priuſquàm ulteriùs progrediamur, notandus eſt error Eutychii proximè appellati, dum ſcilicet de Demetrio Patriarcha Alexandrino ait, eum de ratione Paſchali Chriſtianorum ſcripſiſſe *ad Agapium epiſcopum Hieroſolymitanum, & Maximum* vel potius Maximinum *Patriarcham Antiochenum, & Victorem Patriarcham Romanum*. Certiſſimum quidem eſt Victorem, cujus tempore quæſtio de celebratione Paſchatis mota eſt, ſupremum Eccleſiæ Pontificatum geſſiſſe, quando Demetrius erat Patriarcha Alexandrinus. At Agapium Epiſcopum Hieroſolymitanum, tribus ſaltem primis Eccleſiæ ſeculis, niſi quempiam binomium quis dixerit, nullum reperies. Agapii quidem meminit Euſebius libro 8. Hiſtor. Eccleſ. cap. 26. Sed iſte toto ſæculo Demetrio poſterior *Cæſarienſis Eccleſiæ* erat Epiſcopus ac Euſebii proximus deceſſor. Fruſtra ſanè Agapium Demetrio contemporaneum in Eccleſia Hieroſolymitana quæreremus. Nam Victoris & Demetrii temporibus, *Narciſſus adhuc Eccleſiæ Hieroſolymitanæ miniſterio perfungebatur*: teſte Euſebio lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 21. qui & cap. 22. ejuſdem libri agens de Synodo Palæſtinâ ob rationem Paſchatis celebrata, in eâ, inquit, *Theophilus Cæſarienſis Eccleſiæ*

Epiſco-

Epiſcopus, *& Narciſſus Epiſcopus Hieroſolymorum*, *præſides fuerunt*. Quin & in libello Synodico memoratur *Synodus divina & ſacra provincialis*, *collecta Hieroſolymis à terbeato illius Archiepiſcopo Narciſſo*, *& aliis Epiſcopis quatuordecim*, *ſuper myſtico Paſcha ſecundùm Sanctiſſimum Anicetum & Victorem pronuncians*. Quod ad Maximum ſeu Maximinum Patriarcham Antiochenum attinet: ſi Demetrius ad eum ſcripſit, id proculdubio contigit, ubi primùm Eccleſiæ Alexandrinæ ſuſcepit adminiſtrationem. Ad annum enim decimum Commodi, Eræ Chriſtianæ 189. tum Demetrii, tum Serapionis qui Maximinum in Antiochena Sede excepit, initia refert Euſebius in ſuo chronico; ita tamen, ut primum hoc in anno locum aſſignet Demetrio, quaſi extremis Maximi ſeu Maximini diebus Patriarchatum Alexandrinum ille nactus ſit. Niſi dicatur Demetrium de obitu Maximini nondùm inſtructum, ad eum ſcripſiſſe: quod & aliis ſæpè contigiſſe conſtat.

Pro anno quem paſſioni S. Marci addico, ſtat antiqua hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, quam unà cum chronico Orientali edidit Abrahamus Ecchellenſis Syrus-Maronita. In eà quippè Marcus dicitur *coronam conſecutus martyrii*, *poſtremâ Barmudæ Ægyptiorum*, *anno incarnationis Dominicæ ſexageſimo ſeptimo*, computato more Alexandrinorum à die 29. menſis Auguſti proximè antecedentis, & concurrente cum anno ſexageſimo octavo à Calendis Januariis. De Aniano quem ſibi ſucceſſorem Marcus elegerat, addit eadem hiſtoria: *Obiit die Dominica vigeſimâ* (legendum *trigeſimâ*) *Hathuri*: *ſedem tenuit poſt Divum Marcum Apoſtolum annis octodecim*, *& ducentis ſexdecim diebus*. Hi ſexdecim & ducenti dies ſupra octodecim annos enumerati à poſtremâ Barmudæ anni Chriſti 68. præciſè deſinunt trigeſimâ Hathuri, ſeu vigeſimâ ſextâ menſis Novembris, anni 86. Cyclo Solis XI. lit. Dominicali A: ita ut Aniani obitus in Dominicam diem egregiè incurrat.

Alii tamen alia ſentiunt: ſed calculos eorum fugiunt illi characteriſmi. Auctor vitæ S. Marci Arabicè ſcriptæ, & à Petro Kirſtenio editæ, eum martyrio coronatum ait anno 14. Claudii Cæſaris, ſive anno Chriſti 54. Cyclo Solis VII. lit. Dominicali F; ac vigeſimâ nonâ Pharmuthi non in Dominicam diem, ſed feriam

quartam competente. Huic anonymo proximè accedit Eutychius Patriarcha Alexandrinus in originibus Eccleſię Alexandrinę, quas Arabicè & Latinè in lucem edidit Seldenus. Ibi enim ſtat pro anno mox ſubſequenti, nempè Chriſti 55. *Imperii Neronis Cæſaris primo*. Item Varnerus Rolevink in faſciculo temporum, idque Philone teſte ſe tradere ait: *Beatiſſimus*, inquit, *Chriſti Evangeliſta Marcus martyrio coronatur, anno Neronis primo, ut dicit Philo contemporaneus ejus apud Alexandriam Ægypti, ubi Epiſcopus erat conſtitutus à beato Petro*. Quis tamen ſibi perſuadeat hæc Philonem dixiſſe? Nam D. Hieronymus de Marco differens in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis Philonis de illo ſcriptum non omiſit, & nihilominùs annum ejus paſſionis definiens longè poſterioris Euſebii calculis adhæret. At neque huic anno Dominici diei charactériſmus convenit, utpote competenti in cyclum Solis VIII. lit. E. Sic enim vigeſima nona Pharmuthi incidit in feriam ſextam. Euſebius verò, aliique poſt ipſum ferè communiter, annum Neronis octavum ſeligunt, ſeu Chriſti 62. cui competit cyclus Solis XV. litera C: adeo ut vigeſima nona Pharmuthi Sabbathum pro charactere habeat. Denique pſeudo-Dorotheus in Synopſi de vita & morte Prophetarum, Apoſtolorum, ac Diſcipulorum Chriſti, ait de Marco Evangeliſta, quòd *ſub Trajani regno, in Alexandria ... menſe Aprili combuſtus, & in Buculo ſepultus eſt*. Ita vel deſinenti primo Chriſti ſeculo, vel ſecundo incipienti, noviſſimum diem obiiſſet Marcus. Verùm mendaciis ſcatet ille liber, neque uberiori confutatione opus eſt, ut omnem ipſi fidem abrogemus.

Inconcuſſum ergo manet paſſionem S. Marci contigiſſe anno Chriſti ſexageſimo octavo, Cyclo Solis XXI. lit. Dominic. B poſt vigeſimum quartum diem Februarii, trigeſimâ Pharmuthi, Serapia ſua celebrantibus Ægyptiis, & pridiano die in Dominicam elapſo.

In actis SS. Philemonis & Apollonii apud Bollandum die 8. menſis Martii. fertur eos martyrium ſubiiſſe die feſto Antinoitarum, ad quem Arianus præſes Philemonem alapis jam percuſſum ſollicitans, *in hâc*, inquit, *grandis gaudii, quæ ſupervenit, die lætus advoces plebem, quæ modò triſtatur pro alapis, quibus injuriam*

 356

riam paſſus es: & ita demùm exultantes de tua reverſione ibimus cum toto officio ad balneum, & lavantes corpora aſcendemus ad Sancta Serapis, & agemus cum requie dulce convivium. Serapiorum dies feſtus hic non erat, ſed octavus menſis Phamenoth, pridianus feſti quem *Iſidis navigium* nuncupabant in ſuperiori appendice jam illuſtratum: & ad quem, ad eum ſcilicet quo Sacerdotes Ægyptiorum *rudem dedicabant carinam* Iſidi, paraturum ſe fingens Apuleius lib. 11. matamorph. *Diſcuſſâ*, inquit, *pigrâ quiete, alacer exſurgo: meque protinùs purificandi ſtudio, marino lavacro trado: ſepties ſubmerſo fluctibus capite.* Nec obſtat, quod ad *Sancta* ſeu templum *Serapis* è lavacro eſſent aſcenſuri. Iſidi enim & Serapidi communia erant Ægyptiorum templa. Eodem die ſed diverſo anno paſſus eſt etiam Arianus præſes ad veram fidem poſtmodùm converſus. Cùm enim Imperatoris Diocletiani juſſu Alexandriam duceretur, agonis ſuæ diem ſpiritu prophetico prævidens, *Octavâ*, inquit, *die menſis Martii Imperator Diocletianus me præcipitari jubebit in mari cum ſacco pleno arenâ: Soliciti ergo eſtote* (famulos alloquebatur) *ut poſt tres dies, ideſt, undecima ſupradicti menſis, egrediamini ſupra mare circa horam diei ſextam,* &c. pro *octava die menſis Martii* Acta Græca ex MS. Regis Chriſtianiſſimi apud eundem Bollandum in appendice edita legunt τῇ ὀγδόῃ τοῦ Φαμενὼθ μηνὸς *octavâ menſis Phamenoth.* Sicut & Simeon Metaphraſtes in actis SS. Thyrſi & ſociorum die 14. menſis Decembis apud Surium. Interpretis errori locum dedit, quod menſis Martius concurrat cum fixo Alexandrinorum Phamenoth, quamquam non ſecundùm omnes dies. Concludunt acta Græca agonem ſuum ſub imperio Diocletiani conſummaſſe ſanctos illos Martyres ἐν μηνὶ Φαμενὼθ κατὰ Ἀνατολικοὺς εἰκάδι, κατὰ δὲ Ῥωμαίους μηνὶ Δεκεμβρίῳ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ: ſed error irrepſit in unum numerum, nempè κ' pro ἡ': adeo ut vertendum ſit, *In menſe Phamenoth die octavâ juxta Orientales: ſecundùm Romanos verò menſe Decembre die decimaquarta.* Unde Græci in ſuis Menæis SS. Philemonem, Apollonium & Arianum celebrant die decimaquarta menſis Decembris, unà cum SS. Martyribus, Thyrſo, Leucio, & Callinico: atque ad hunc diem utrorunque acta retulit Metaphraſtes.

Falſum obtutu primo videtur octavam diem menſis Phame-

noth concurriſſe cum die decimaquarta menſis Decembris. Quippè ſi annum fixum Ægyptiorum conſulamus, octava Phamenoth coincidet cum quarta Martii. Verumenimverò licet Ægyptii occidentales, maximè Alexandrini, jampridem uterentur anno fixo: non tamen Orientales, nominatim Antinoïtæ, apud quos Philemon & Apollonius paſſi ſunt. Unde laudata Acta non juxta omnes Ægyptios hanc Phamenoth cum Decembri connexionem ſtatuunt, ſed κατ' Ἀνατολικοὺς *juxta Orientales*. Et quidem Antinous ad Orientalem Nili partem ſita erat, ſic eam deſcribente Ptolemæo: Ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν τοῦ ποταμοῦ Νομὸς Ἀντινοΐτης, καὶ μητρόπολις ἐπ' αὐτοῦ Ἀντινόου πόλις. *Ab Orientali autem parte fluvii Nomus Antinoites, & in ipſo metropolis Antinoi civitas*, quæ proinde ad Thebaidem ſpectabat, de qua Ammianus Marcellinus lib. 22. *Igitur Thebais multas inter urbes clariores aliis Hermopolim habet, & Copton, & Antinoon, quam Hadrianus in honorem Antinoi ephebi condidit ſui*. Reapſe Athanaſius Kircherus de anno Diocletiani & Era Martyrum *ex Arabicis & Copticis monumentis* agens in Prodromo Coptico cap. 2. tradit Diocletianum Imperatorem annum vagum Ægyptiorum, Coptorum ſcilicet, eorumque partis, reformaſſe, & juſſiſſe; *ut dies 29. Auguſti* (quemadmodùm fiebat apud Alexandrinos) *ſemper impoſterum ipſum principium eſſet menſis Thoth novi illius anni reformati*. Hinc non tam Alexandrini quàm Coptitæ anno ita fixo nomen poſtmodùm fecerunt. Unde Alfraganus qui circa annum Chriſti 950. floruit, in elementis chronologicis cap. 1. cùm obſervaſſet Ægyptiorum annum fuiſſe dierum 365. abſque horis appendicibus, ait: *Differunt autem menſes Coptitarum, quos modò uſurpant Ægyptii, quatenùs ad anni quantitatem quartam diei partem adjiciunt*, nempè à tempore Diocletiani, à quo annos ſuos computant.

Rem ad calculos revocemus. Anno Chriſti 296. Eræ Nabonaſſari 1044. Neomenia Thoth anni vagi Ægyptiorum incidit in diem decimam menſis Junii, & neomenia Phamenoth in diem ſeptimam menſis Decembris: proindeque octava Phamenoth concurrebat cum Decembris decimaquartâ. Annum Imperii decimumtertium agebat Diocletianus à vigeſima die menſis Novembris. Ex quo non levis oritur ſuſpicio, numerum decimum in

Actis

357

Actis Græcis prælaudatis amanuenſium incuriâ prætermiſſum eſſe vel tritum in antiquato codice, dum legunt de SS. Philemone & Apollonio: *Anno tertio Imperatoris Diocletiani, poſtquàm requieviſſent Aſclas atque Leonides, ambo ſub Ariano Thebaidis præſide fidem confeſſi ſunt.* Legendum enim potiùs: *Anno decimo tertio*, ſeu ιγ' pro γ', prout calculi ratio exigit. Niſi dicamus Philemonem & Apollonium martyrio coronatos eſſe anno tertio Diocletiani computato ante paſſionem Ariani præſidis. Cùm enim tam Arianus quàm Philemon & Apollonius martyrium ſubierint octavâ menſis Phamenoth concurrente cum decimaquarta menſis Decembris, quanquam diverſo anno id contigit: utrorunque paſſio intra illud quadriennium procul dubio evenit, quod ab anno Chriſti 296. ad annum 300. computatur. Eo enim elapſo, octava Phamenoth concurrere non potuit cum decimaquarta menſis Decembris, niſi poſt annos mille quadringentos & ſexaginta. Illud tamen non fuit ſummè ſævientis Imperante Diocletiano perſecutionis tempus; ſed annus ejus decimus nonus, Chriſti 303. *agentibus conſulatum Senibus ambobus*, Diocletiano ſcilicet & Maximiano, *octavum & ſeptimum*: uti nos edocent Synchroni Scriptores Lactantius & Euſebius, iſte lib. 8. Hiſt. Eccleſ. cap. 2. ille cap. 12. de mortibus perſecutorum. Quemadmodùm autem aucta in immenſum hoc anno perſecutio Eræ Martyrum nomen dedit annis Diocletiani, licet ab initio ejus imperii enumeratis: ita & locum præbuit anni vagi in fixum quaſi primum facta commutatio. Unde Kircheriana Arabum & Coptitarum monumenta, quæ ſuprà appellavimus, Diocletianum inducunt, velut *annum Ægyptium antiquum univerſum 1031. cujus ultimus dies fuit 12. Junii, à Nabonaſſaro progredi permiſerit: & 311.* (legendum erat 308.) *annos aſſumens, ob 77. vices, quater à primo imperii Octaviani Cæſaris Auguſti anno elapſas, in quibus omnes præterlapſi biſſextiles comprehendebantur, juſſerit; ut 13. die menſis illius totidem etiam dies numerarentur tanquam intercalares. Tum dies 78. anni currentis 312. (309.) in diem incideret ſequentem poſt novilunium Virginis, (quod fuit in 28. diem) in feriam ſcilicet ſextam diei 29. Auguſti & dies hic ſemper impoſterum ipſum principium eſſet menſis Thoth novi illius anni reformati.* Hanc certè anni reforma-

tionem

tionem Diocletiano per prolepſin addictam nemo non videt. Ejus enim imperium exordium ſumpſit anno Chriſti 284. Nabonaſſari 1032. die ſecundùm Alexandrinos 24. menſis Athyr, ſecundùm Ægyptios Orientales ſicut & Aſtronomos 11. Mechir, & ſecundùm Romanos 20. Novembris. Ideo verò annos 311. & non annos 308. qui ſunt 77. quater multiplicati, Diocletianum aſſumpſiſſe ab Cæſaris Auguſti initio legit Kircherus: Quia Era Copticarum incipit anno Auguſtano 311. & confundens Auguſtanam Romanorum epocham cum Auguſtanâ Ægyptiorum, quæ tamen, teſte Cenſorino, *biennio* fuit prior, initium ejus auſpicatus eſt à die 29. menſis Auguſti. Sed Mathematicorum Arabum monumenta hâc in re non intellexit vir alioquin eruditus. Illi enim Auguſtanam epocham huic anno affixerint, neceſſe eſt, quo neomenia Thoth mathematicè incidit in diem 29. menſis Auguſti anno Nabonaſſari 724. ante chriſtianam eram 25. quinquennio poſt initum ab eodem die annum fixum Alexandrinorum. Ab eo enim tempore uſque ad annum Nabonaſſari 1031. incluſivè ſeptuaginta ſeptem anni quater ducti elapſi ſunt. Quod ad feriam ſextam attinet diei 29. Auguſti characteriſticam anno Nabonaſſari 1032. & Ere Copticarum primo, nihil deſcriptius. Nam Cyclus Solis erat XIII. lit. Domin. E poſt 24. diem Februarii. Novilunium etiam Virginis hoc anno commiſſum computatur ex tabulis aſtronomicis die Auguſti 28.

Statuto anni vagi apud Ægyptios Orientales populari uſu ad Diocletiani tempora, lux Valentinianis illis accedit, qui apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Strom: pag. 340. natalem Domini conſignant *ἐν πέμπτῃ Παχὼν καὶ εἰκάδι in vigeſimo quinto Pachon*. Severo imperatore, libros Stromatum ſcripſit Clemens Alexandrinus, ſuos idcircò temporum calculos deceſſoris Commodi obitu in iis terminans. Unde ipſum *temporibus Severi* floruiſſe ſcripſit D. Hieronymus lib. de Script. Eccleſiaſt. Annum autem Imperii octavum agebat Severus anno Nabonaſſari 948. cujus Thoth iniit die 4. menſis Julii anni Chriſti 200. & cujus vigeſima quinta Pachon incurrebat in vigeſimam quintam ſubſequentis anno Chriſti 201. menſis Martii, ſive in diem incarnationi Dominicæ ab Eccleſia conſecratam; apparenti autem nativitati à Valentinia-

lentinianis. Illi enim Hæretici carnem Chriſti negantes aſſumptam ex Maria Virgine, & formatam in ejus utero, ipſum *quaſi aquam per fiſtulam, ſic per Mariam Virginem tranſmeaſſe* eamque *viam Chriſti, non matrem*, contendebant. Teſte Tertulliano lib. de præſcript. cap. 49. & lib. adverſus Valentinianos cap. 27. Unde noveno in utero Virginis menſium decurſu prætermiſſo, dies incarnationis ipſis fuit natalicius dies Domini.

Non me latet, quendam anonymum cujus libellus in elucidationem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primi & ſecundi ſeculi Gallico idiomate conſcriptus, anno proximè elapſo 1695. Trajecti apud Joſuam Vanderplatt editus inſcribitur, crimen impingere Tertulliano hunc alioſque errores addicenti Valentinianis. Nec ipſum pudet in Juſtinum martyrem, Irenæum, Clementem Alexandrinum, Origenem inſurgere, Valentinianos vindicaturum ab eorum ſcriptis. Verùm anonymi temeritatem jamjam exhorrent eruditiſſimi viri, in quorum manus libellus ejus incidit: bonaque fide, Valentinianorum errores Tertullianum, alioſq; patres retuliſſe, in promptu eſt ex hoc Tertulliani loco lib. adverſus Valent. cap. 5. *Mihi autem cum Archetypis erit limes principalium magiſtrorum, non cum adfectatis ducibus paſſivorum diſcipulorum. Nec undique dicemur ipſi nobis finxiſſe materias, quas tot jam viri ſanctitate & præſtantiâ inſignes, nec ſolùm noſtri anteceſſores, ſed ipſorum hæreſiarcharum contemporales, inſtructiſſimis voluminibus & prodiderunt & retuderunt: ut Juſtinus philoſophus & martyr, ut Miltiades Eccleſiarum Sophiſta, ut Irenæus omnium doctrinarum curioſiſſimus explorator, ut Proculus noſtræ Virginis ſenectæ & chriſtianæ eloquentiæ dignitas: quos in omni opere fidei, quemadmodùm in iſto, optaverim aſſequi. Aut ſi in totum hæreſes non ſunt, ut qui eas pellunt, finxiſſe credantur, mentietur Apoſtolus prædicator illarum.* (1. Corinth. XI. 19.) *Porrò ſi ſunt, non aliæ erunt, quàm quæ retractantur. Nemo tam otioſus fertur ſtylo, ut materias habens, fingat.*

Pluribus nunc ſuperſedeo, ne auctiorem diſſertatione jam præmiſsâ darem unam & alteram appendicem: eorumque abnuerem votis, qui has ſtudiorum meorum primitias juris publici quamprimùm factas exoptant, ipſe præſertim illuſtriſſimus ac

erudi-

eruditiſſimus D. Magliabecchus, qui, ut maximæ auctoritatis eſt apud omnes literatos, ita & maximi ponderis, ut has lucubrationes in lucem edam. Lectorem tamen hîc obiter monitum volo, me non fruſtrà diſſertationis initio veterum placita ſubticuiſſe, quibus præëuntibus, recentiores contendunt Pharaonicum nomen Joſephi revelatorem arcanorum ſeu futurorum vatem ſignificare. Hos enim in errorem induxit ignoratio veteris linguæ Ægyptiorum, in qua è tenebris eruendâ ſequax eorum ne felix quidem fuit Kircherus, qui & fruſtra in prodromo Copto cap. 5. ad Pentateuchum Coptum potiſſimùm confugit, quaſi in eo vox **ΨΟΝΘΟΝΦΑΝΗΚ** *futurorum vatem* ſignificet. Hęc namque interpretatio non majus in hoc Pentateucho fundamentum habet, quam in verſione LXX. quæ Coptis affulxit, vocem eandem legens. Utrobique enim vox illa legitur abſque interpretatione, quam idcirco mox mutuatur Kircherus ab Græco auctore Chronici Alexandrini, nunc Paſchalis nuncupati, credente Moſem appellatum fuiſſe ab Ægyptiis Ψον-θομ-φαν-χθῆ, ὃ ἑρμηνεύεται ᾧ ἀπεκαλύφθη τὸ μέλλον, *Pſon-thom-phan-chthe, quod interpretatur, cui revelatum eſt futurum*: At ſicut illud nómen gratis affingiur Moſi, ita & nominis interpretatio, quæ non alios habet auctores, quàm quos fugit vetus Ægyptiorum lingua in Joſephi nomine Ψομθομφανὴχ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Fine